52252

ARCHEUS FEBRIUM FABER

Et Medicus.

Sive

EXERCITATIO MEDICO-PRACTICA,

De uſu & methodo rationali, ſolida,
certa & ſecura,

Tam in febribus intermittentibus, quàm periodicis continuis
Adminiſtrandi febrifugorum omnium maximum

CORTICEM PERUVIANUM

Seu Chinam-chinam,

Autore

JOANNE HENRICO COHAUSEN,

Hildeſio-Saxone. M. D.
Archiatro Horſtmario - Ahuſano,
Et Diœceſeos Monaſterienſis Practico Seniore.

*Cæcus te non agat medicandi ritus,
Non imperet conſuetudo, Opinio non præoccupet,
unus te regat amor Veri, Studium
recti, ſanandi cupido.*

Hecquet de purg. Med. à Cur. Sord. c 19.

AMSTELODAMI,
Apud SALOMONEM SCHOUTEN.
MDCCXXXI.

Archeo Microcoſmi Rectori,
ſive Naturæ
Antiquo Medicorum Numini,
in perpetuum colendo,
Rationi & Experientiæ,
Venerandis Veritatis Adminiſtris,
Has obſervationes & cautelas practicas
Sacras vult Autor.

Vos Jatricæ practicæ Conſecranei
iis,
Quæ ſenſus ceu verus medicinæ oculus demonſtrat,
Ne negate fidem,
Veritatis & Naturæ Decretis
Ad rationis & experientiæ leges ſtatuminatis
Obedientiam præſtate.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

Reverendiſſimis & Ampliſſimis Dominis Eccleſiæ Collegiatæ S. *Felicitatis* & Illuſtriſſimi Capituli Vredenſis Canonicis Capitularibus.

D. Bernardo Joſepho Menkenio Seniori & Parocho.
D. Philippo Everhardo Hammio J. V. D. & ſubſeniori.
D. Jodoco Hermanno Nünningio J. V. D. Scholaſtico & Protonotario Apoſtolico.
D. Henrico Ignatio Nunningio.
D. Chriſtophoro Bernardo Abbingio in curia Abbatiali Honoris Sacellano
D. Gaudentio Zumbroock apud Treveros pariter Canonico.
D. Hermanno Joſepho Barcholt Parocho.
D. Franciſco Maximiliano de Nahmen.

Dominis & Patronis plurimùm colendis ſalutem & felicitatem

Author.

Re-

Reverendiſſimi & Ampliſſimi Domini.

QUod tractatulum hunc de famoſiſſimo Peruano Cortice Kinkinna Clariſſimis veſtris Nominibus inſcribam, non una eſt cauſa, præcipua tamen, quòd de argumenti, de quo hic pertractat, & poſtulatorum meorum veritate teſtimonium præbere poſſitis omni exceptione majus. Nam etſi hic in Weſtphalica etiam regione ſuos oſores habeat, illos nempe, qui vel ex inſcitia artis medicæ vel ex præjudicio judices eſſe volunt rei ſibi penitus ignotæ, vos tamen omnes ipſâ in corporibus veſtris experientiâ de ejus tuta energia non niſi laudabile teſtimonium perhibere poteſtis. In recenti vobis verſatur memoria ipſum illuſtriſſimum veſtræ Eccleſiæ caput Dominam Abbatiſſam Mariam Franciſcam Comitiſſam de Manderſcheid Blankenheim ante triennium febri continuâ peracutâ cum graviſſimis

ſymp-

ſymptomatis, quæ dubiam vitæ ſpem faciebant, periculoſiſſimè decubuiſſe, quæ tamen iſto debitè à me modificato, juſto tempore exhibito, temperantibus & confortantibus interpolato, favente cœlo ſalutem recuperavit, licet ſub morbi initium expreſſis proteſtata fuiſſet de china-china & opio nullatenus exhibendis. Medico tamen ſtratagemate feliciter decepta vivit ab eo tempore perquam athleticè, quam Superi in longiſſimam ætatem ſoſpitent. Capituli veſtri ſenior venerandus Dominus Menkenius Sexagenario jam major cum præcedente hyeme ex febri continua catharrali & rheumatica vires admodum frangente lecto affigeretur, ejusdem methodo mea correcti & exhibiti beneficio ita penitus convaluit, ut nunc ſine ulla ſanitatis labe in viridi ſenecta plures adhuc vitæ annos habeat, quos exſpectet. Dominus Subſenior veſter Hammius ante tres circiter annos à febri gaſtrica paucos intra dies corticis ope liberatus nunc ſanitatis & virium robore nemini ſecundus in ſpem vitæ longioris degit proſperrimè. Dominus Nunningius Scholaſticus, non tam diætæ aliquo erro-

re quàm nimiâ ſtudiorum fortè intemperie ante biennium dum in febrem continuam intenſiſſimo viſcerum æſtu linguæ nigredine atque ariditate, ſummoque longuore comitatam incidens ad faciem Hippocraticam & fere incitas redigeretur, hoc quidem remedii genus primùm neſcio quâ apprehenſione averſatus poſtea conclamatâ fere ſalute, cum hoc ultimum vitæ ſuæ aſylum eſſe à me intelligeret, id mea perſuaſione aſſumens paucos intra dies cum *Hygiæa* rediit in gratiam, & qui remedii fuerat oſor, in eo τὸ θεῖον expertus exclamare coactus eſt: *ô Divinum remedium*! Germanus ejus Frater in albo veſtro ſupra memoratus à febri tum tertianâ tum quartanâ per varios annos admodum moleſtante ſe liberationem & conſtantem apyrexiam illi debere gratus agnoſcit. Dominus Abbingius præſentiſſimâ corticis virtute non ſemel à febre intermittente liberatus eidem, ſi exigas, teſtimonia laudis præbebit uberrima. Non commemoro cœteros Collegii Veſtri viros ſpectatiſſimos, à furia pariter querquera olim infeſtatos, ne integrum hic condam febricitantium noſocomium. In aprico

eſt,

eſt, veſtrûm eſſe nullum, qui non ſalutarem ex hac *Hierâ febrifuga* opem Deo dante expertus *Æſculapio* Gallum gallinaceum obtulerit. Nemo non facilis eſt, elogia, ſi neceſſe foret, decantare de cortice ſui ſoſpitatore. Nullus verò veſtrûm, quod rei caput eſt, Kinkinnæ uſu fugatâ febri, moleſtiæ, periculi, aut pravorum ſymptomatum quidpiam (quod aliàs ex inſcita exhibitione ſequi pronum eſt) perpeſſus, ſed tam laudabili quàm unquam antea Evexiæ reſtitutus tum de corticis ritè modificati innocentia tum de ſolida & ſecura mea illum adminiſtrandi methodo, quam hoc in libello doceo, teſtari poteſt. Ita jam non in ore trium, ut vulgata habet paræmia, ſed octo veſtrûm indubia veritas conſiſtit. Neſciviſtis equidem febricitantes, quo remedio à me fueritis tractati, neque hoc ſcire uni alterive fortè expediiſſet, intelligitis tamen nunc candidâ libelli hujus revelatione & demonſtratione vos non temerè, non empiricè, ſed methodo planè rationali, ſolidâ & ſecurâ tractatos perſanatosque eſſe, ut nemo veſtrûm ex corticis peruviani uſu, faſtidioſo quodam ſymptomate ſe

mulctatum eſſe dolere poſſit, utut invidiæ proceres ringantur.

Nullis igitur niſi vobis Reverendiſſimi Domini dedicare viſum eſt Exercitationem hanc practicam, & quidem in perenne humillimæ meæ, quâ erga vos omnes atque ſingulos feror, devotionis monimentum, quod vel eo gratius fore futurum ſpero, quod ſic Nominum veſtrorum, quæ moderno tempore illuſtriſſimi capituli Vredenſis ornamenta ſunt, memoria unà cum libello nunquam perituro ad poſteros transferatur. Faxit Archiater ſupremus, ut poſt plura luſtra me adhuc utamini medico, & ego veſtro fruar favore. Ego vos Divæ *Felicitatis* Eccleſiæ veſtræ Patronæ præpotenti tutelæ commendo, & ſub hac ipſi devoveo felicitati.

Dignitatum Veſtrarum

Servus & cultor humillimus.

JOANNES HENRICUS COHAUSEN.

PRÆ-

PRÆFATIO

Ad Lectorem.

DE admirando regni Peruani cortice, ſupremo & vero febrium ſpecifico remedio, ſed tot gravato præjudiciis, tot controverſiis exagitato, deque tot noxis ſuſpecto peculiari chartæ quicquam committere nunquam in mentem veniſſet, præſertim cùm *Neotheæ* meæ idiomate batavo editæ Diſſertatione ultimà de illo jam brevibus egerim, niſi Ampliſſimi æſtimatiſſimique Amici variorum meorum tractatuum, & hujuſce quoque, ad lucem publicam Promotoris magni ad non unius in Hollandia medici deſiderium petitioni annuere tum amicitiæ arctioris nexus, tum gratitudinis & venerationis debitum juſſiſſent.

Etenim cùm poſterioribus hiſce annis ob diatheſin aëris æſtuoſam, variasque auræ anomalias, & hinc enervatos vitiatosque corporis humani ſuccos tanta undiquaque terris, etiam Weſtphalicis Batavisque, febrium omnigenarum incubuerit cohors, quæ innumeros fato etiam immaturo ad tumulum rapuit; plurimi tum Medici tum clinici, ut libitinæ graſſantis ſe furori eriperent, ad corticem peruvianum veluti ſalutis anchoram & nonnullis reputatum quaſi vitæ lignum intrepidè confugerunt. Qui quidem auſus ſub directione expertorum Practicorum ita ceſſit feliciter, ut eucraſiâ recuperatâ pleniſſime & conſtanter brevi tempore reconvaluerint; alii verò è contrario pariterque non minori numero methodo minùs accuratâ tractati, in continuas recidivas prolapſi cachexiam adeo per-

pertinacem contraxerint, ut cum Hygæa in gratiam neutiquam redire potuerint, ſed diu lemurum & ſpectrorum inſtar toti pallidi & exſucci obambulârint, mille diris corticem hunc à ſe devoratum devoventes; è contra prioribus ſpecificum illud antifebrile ceu remedium quaſi divinum in cœlum uſque evehentibus. Ex quo quidem contrario effectu & fauſto infauſtoque apud diverſos ſucceſſu abunde dilucеſcit, parem hujus ſpecifici, quæ aliorum remediorum generoſiorum, eſſe ſortem, ut uſu recto juvandi, abuſu nocendi potentiam habeat. Quod non ipſius quidem medicamenti ſub debita rationali applicatione inſontis, ſed eo empiricè & amethodicè abutentium eſt vitium. Quid enim hodie communius, quàm quòd & agyrtæ, tonſores, & ſeplaſiæ invito Æſculapio

corticem diſpenſandi authoritatem ſibi impudenter paſſim arrogent?

Rogavit itaque prælaudatus *Pylades*, Muſarum amor, & Meus, cui quid negare grande in inveteratam amicitiam peccatum fuiſſet, ut boni publici cauſſâ meas circa hunc corticem longo praxeos curriculo hauſtas obſervationes & experientiam hac febrium continuante tempeſtate præprimis utiles atque neceſſarias exactiorem informationem expetentibus communicare non gravarer. Quod ut promptiùs facerem, ſtimulos quoque addidit celeberrimus Angliæ *Machaon Malpighius* in opere poſthumo Londini impreſſo his verbis: Remedia quæ vulgariter inventa creduntur à caſu, & fortuito, & à ſola Empirica, egent pariter ut examinentur à ratiocinante, & reducantur ad tutam ope-

operandi naturam. Id experimur in uſu chinæ chinæ, quæ ſine arte adhibita non ſolum eſt cauſa recidivarum ſed etiam fixationum & ut plurimùm cachexiæ. Hinc neceſſe fuit pro illius tuto uſu ab eadem elicere tincturas in pauca doſi & paulatim, & aliis cautionibus à priori erutis eam exhibere. Ita *Malpighius*. Sic eſt:

Pro captu patientis habet Cortex ſua fata. Illius beneficio convenienti methodo febres tum intermittentes, tum remittentes continuæ ſat ſecurè curari poſſunt, perverſâ verò facilè ad exitium funeſtum converti. Ut proin ejus uſum, quò cedat feliciter, variis animadverſionibus & cautelis indigere in aprico ſit. Quas tum ex propriæ experientiæ penu deprom-ptas, tum ex practicorum non infimi ſubſellii ſcriptis adſcitas Me-

dicinæ Candidatis Practicisque junioribus offero.

Intricatum fateor hoc penſum eſt, qnia penitus difficile argumentum, quod hactenus inter Eruditos pomum fuit *Eridos*. Jam à primo Corticis in Europam adventu, ſtante adhuc humorum ſenſibilium craſſiorum hypotheſi Galenicâ, mox graves contra eum inſurrexêre hoſtes, qui dum febres in humorum neſcio qua colluvie conſtituerent, & hanc, licet febris ceſſaret, ab eodem ſenſibili evacuatione nullatenus tolli animadverterent, eum prorſus damnârunt, veluti plurium, majorumque inde conſectariorum malorum originem Quæ quidem antiquata ætiologia ipſâmet refragante ſub gemina utendi methodo experientiâ intra breve tempus dilapſa, corticis famæ haudquaquam detrahere potuiſſet, niſi longè ſubtilior

tilior Recentiorum hypotheſis, quæ in foro medico nunc magnum applauſum habet illi quaſi velificata fuiſſet. Nempe febrim quamcunque eſſe motum naturæ utilem, expulſioni alicujus noxii deſtinatum, adeoque neutiquam cortice aut ſupprimendum aut tollendum. Quæ quidem ſententia longè quàm prior majus cortici, imò potius humano generi maximum vulnus inflixit, quatenus à ſalutari & tempeſtivo ejus uſu medentes ægrotantesque abſterrendo tot millenis exſtitit funeſta, quos febrium truculentia abripuit, & china-china maturè & cautè ſatis adhibita ſervare potuiſſet.

Pace igitur Excellentiſſimorum hujuſce ævi Profeſſorum, quos ceu magna artis noſtræ lumina ſuſpicio atque veneror, quo fulcro nitatur, moderna hæc hypotheſis, oſten-

oſtendere, meamque illi contrariam rationis & experientiæ adminiculis ſtabilire conabor, interim ſuo quemque ſenſu abundare permittens, neque cum illo in arenam deſcenſurus, ſed qui meliora ſolidioraque febris curandæ præſidia me docuerit, gratias habiturus maximas. Doleo ſanè vices illorum, qui medicorum antichinicorum clientes diuturnâ & dubiâ cum febribus, præcipue continuis, luctâ ſub natura (circa morbi ſtatum tamen facilè ſuccunbentis) præſidio periculoſè conflictantes, ſpe ex exſpectatione criſeos demulcentur, & non rarò luduntur. Gratulor verò iis, qui medicum providum & prudentem nacti corticis dextrè adhibiti ope in intermittentibus quidem mox apyrexiâ & redintegratâ eucraſiâ, imò ſtatu ſanitatis non rarò magis athletico potiuntur; in continuis

nuis verò caute atque prudenti ejus uſu certiùs atque citiùs ſine criſeos infidæ exſpectatione victoriam reportant. Qui hunc tranſierunt Rubiconem, noverint, quæ in hoc ancipiti bivio brevior tutiorque via eligenda ſit. Tu Lector candide & benevole hanc meam Exercitationem, utut minùs exaſciatam, tuæ tamen ſalutis cauſâ exaratam, æqui bonique conſule, & fave.

ELENCHUS
CAPITUM.

I. CAPUT. Quidditas & Eſſentia febris.

II. Motus febrilis planè violentus & coactus, adeoque illum, ut primùm fieri poteſt, exhibito ſpecifico tollere aut ſuſpendere permiſſum.

III. In cortice Peruviano agendi & febres fugandi modus.

IV. Circumſtantiæ & Cautelæ ante corticis Peruviani exhibitionem obſervandæ.

V. Expurgatio corporis ante corticis exhibitionem non in omni febri utilis ac neceſſaria.

VI. Quâ methodo & quo tempore cortex Peruvianus in febribus intermittentibus exhibendus.

VII. Nonnulla ſub Corticis Peruviani uſu obſervari digna.

VIII. Purgatio poſt exhibitum Corticem rarò neceſſaria, ſæpè inutilis, plerumque noxia.

IX. Symptomata febres præpoſtero Chinæchinæ uſu ſuppreſſas non raro ſequentia quomodo tractanda & curanda.

X.

X. Cortex Peruvianus adæquatum in febri quartana remedium.

XI. Cortex Peruvianus providè & cautè adminiſtratus tutum ſatis & efficax in febribus continuis remittentibus medicamentum.

XII. Corticis Peruviani efficacia in variis aliis morbis & præcipuè iis, quibus junctæ ſunt commotiones febriles.

XIII. Corticis Peruviani componendi ſeu miſcendi neceſſitas.

XIV. Corticis ſecundùm varias febrium indicationes miſcendi artificium & varia exempla.

Liber ad Autorem.

Non puto præſenti quòd me conſcripſeris ævo,
Nam tibi cur odium ſponte creare velis.
Nôſti materiæ genium, quot nacta ſit hoſtes.
Quot præjudiciis *China* gravata gemat.
Non tamen hæc curas, muſisque faventibus ortum
Das mihi, das lucem, Zoili ad invidiam.
Poſt annos melior ſi *Chinæ* illuxerit hora,
Crede mihi, punctum tunc liber omne feram.

Quid-

CAPUT. I.

Quidditas & Eſſentia Febris.

Legent procul dubio Profeſſores noſtri corrugato ſupercilio inexſpectatum libri titulum: *Archeus febrium faber & medicus.* Quid, inquient, ille cum *Archeo*, qui dudum *Helmontio* contumulatus eſt rurſum prodit in lucem? quid confuſum & obſcurum illud in theoria medico-practica monſtrum orbi literato obtrudit? Verùm bona verba Amici. *Legant priùs* (Divi *Hieronymi* effatum eſt Præfatione in *Iſaiam*) *& poſtea deſpiciant, ne videantur non ex judicio, ſed ex odii præſumptione ignorata damnare. Perit* enim inquit *Seneca, omne judicium, cùm res venit ad affectum.* Parum me quidem habet ſollicitum, quem ſenſum alii huic vocabulo tribuant, in mea ſententia non eſt phantaſiæ quoddam ſimulacrum, ſed ens revera exiſtens, plenâ inſignitum activitate, ad vitaliter efficienda ea, quæ ad corporis humani conſervationem pertinent.

Deſcribo igitur, quod ſit vis & poteſtas animæ radiativè in fluido corporis tenuiſſimo (quod aliàs ſpirituum animalium nomine venit) & emanativè in ſolidis exiſtens, per & juxta leges Mechaniſmi limitata ad vitaliter agendum in Machina animali organica,

id eſt, ad partium fluidarum & ſolidarum motus, circulatorios, ſecretorios, excretorios, tonicos &c. perficiendos, ut illorum beneficio corpus à corruptione, putrefactione, & præmaturo interitu præſervetur. Demortuum quid foret decantatus ille ſolidorum mechaniſmus, ſi ejuſmodi principio vitali careret. Gratis aſfinguntur motus à Deo ſolidis inſiti ſi ejuſmodi præſide & directore deſtituantur, in vanum à ſola ſolidorum varia compage ac ſtructura, veluti in Automate artificiali motus vitales petuntur, niſi nexum habeant principii viventis, & vitaliter moventis, quod quo nomine quis velit indigitare, an vitæ, aut ſpiritus vitæ, an Archei, aut naturæ, per me licet de verbis enim cum nemine contendemus. Sufficit, quod poteſtas animæ in vitæ nexu nupta fluidis ſolidiſque, eorumque mechaniſmo limitata vitæ cuſtos ſit, omnium in corpore animali effectuum promotor, porrò ut ſanitatis, ſic morborum faber & medicus.

Archeum hunc in ſtomacho veluti throno reſidere credidit *Helmontius.* In eo namque veluti peculiari ſuo ſenſorio omnium ingeſtorum, ſive alimenta ſive Medicamenta, ſive venena ſint, utilitates atque noxas percipit & diſtinguit, ſuaſque indignationes, furores, angorem, metum, variaſque morborum ideas, concipit, & mediante fluidorum ſolidorumque mechaniſmo regulares motus in irregulares & inordinatos commutando, varios morbos & febres ipſas concitat.

Jam ab omni ævo febris habita eſt pro re ſive pathemate præternaturali. Sive enim Antiqui

tiqui medici cum *Avicenna* dicerent eſſe calorem p. n. in corde accenſum, & inde in totum corpus per arterias diffuſum, actiones naturales impedientem; ſive Recentiores cum *Williſio* definirent eſſe inordinatum ſanguinis motum, ejuſque nimiam effervefcentiam, quâ œconomia animalis variè perturbatur. Sive cum *Ettmüllero* deſcriberent eſſe actionem fermentationis maſſæ ſanguineæ depravatam, unde toti corpori multa eveniant incommoda, ſemper ſub quocunque tandem conceptu indigitabatur febris ceu productum p. n. actiones corporis humani naturales ac vitales impediens, conſequenter ſanitati atque vitæ maximè noxium, donec tandem hoc ævo ingenio humano novaturienti placuit ſententia è diametro contraria enunciare, febrim eſſe motum naturæ omnino ſalubrem, adeoque neutiquam tam citò quàm fieri poteſt, ſupprimendum aut tollendum. Quæ quàm firmo ſtet talo, mox innoteſcet febrium tam intermittentium quàm continuarum naturam exactiùs penſitanti.

Febrim eſſe affectum tum fluidorum (quæ lenta, ſpiſſa, acriave reddita ſunt) irregulariter & turbatè circulantium, tum ſolidorum ſtimulatorum, ideoque ſpaſmodicè conſtrictorum extra dubium eſt, ex iis enim & fiendi modum & febrilium ſymptomatum cauſas verâ & non imaginariâ quadam hypotheſi deduxeris, quâ ſolidorum ſtrictura & hinc conſequente fluidorum remorâ, ſtaſi aut motu irregulari abunde contenti ſunt mechaniſmo addicti, neque ulteriorem indaginem ad febres feliciter curandas neceſſariam judicant.

Verùm enim verò ſupponit hæc tam fluidi quàm ſolidi depravata diatheſis, ceu febris productum, alium vitioſè diſpoſitum autorem. Nemo ex Mechaniſmi patronis negaverit ſolidorum illam vim ſyſtalticam, quâ coortâ febri tanto impetu in ſubigendos hærentes ſuccos inſurgit, eſſe motum vitalem, nemo ex Humoriſtis inficiabitur, ſanguinis & cœterorum liquidorum intenſiores curſus, periodos, ad has vel illas partes determinationes ad eandem quoque claſſem pertinere, & quia vitales ſunt, atque in machina vivente contingunt ab ipſa vita principio vitali, aut *Archeo* (qui ab ἀρτὴ quod Græcis principium eſt, appellatur) inchoari dirigi, abſolvi, ut quidquid ſolida, id eſt omne nervorum tentum in univerſo corpore irritat & ſtimulat quidquid fluida ab ordine & circuitu deflectit, primariò ipſum *Archeum* afficiat. Tolle enim hanc poteſtatem vitaliter moventem, nec intendetur ſolidorum elater, nec ſpaſticæ fient conſtrictiones, nec fluidorum motus irregulares, adeoque nec febres, etſi materiæ aliàs febriferæ in corpore præſentes forent. Unde excell. *Stahlius in Diſſ. Anchiater* c. 7. febres appellat *dumtaxat intenſiones motuum vitalium ſecretoriorum & excretoriorum ab ipſa Natura humana ſeu anima vitaliter movente ad conſervationem corporis inſtitutas & directas.*

Primum igitur agens in febribus eſt *Archeus*, qui à quacunque demum cauſa occaſionali irritatus ſuccum cerebralem magnâ copiâ per nervos ad cordis muſculum determinat, unde ejus motus augetur & acceleratur cum quo arteriæ

teriæ & in iis contenta liquida vehementius concutiuntur, ipſeque intra nervos ſuccus varios ſubit motus irregulares, unde ſolidorum ſtricturæ atque convulſiones.

Neque enim cor aut alii muſculi adinſtar Automati ex motu inſito moventur independenter ab influente liquido nervoſo, ſed ejus plus minùs citum ac frequentem inſtillationem eſpectant, cujus ratione celeriùs, vehementiùs, ordinatè, inordinatè moventur, quo fit ut cor ſubſultando pulſationes augeat, & ſanguis ob violentiam, quâ à corde impellitur, varias hinc inde moras nectere, in arteriolarum extremitatibus hærere, intra viſcera verò fervorem concipere cogatur, unde ſanguine magis expanſo varias omnis generis vaſorum ſtructuras, obſtructiones, & liquidorum ſtaſes, aut effuſiones ſecretorias, excretorias, aut metaſtaſes conſequi neceſſe eſt.

Effectus igitur cum efficiente non eſt confundendus. *Archeus* excandeſcens primus patrator eſt, cœtera jam enarrata ſunt productum. Patet hoc & probatur ulterius ex eo, quod interdum ex ſola imaginatione, ira, objecti terribilis horrore, & vel nudo rerum nauſeam concitantium conſpectu, qualia exempla mihi nota ſunt, febres excitentur, etiam nullâ in corpore præſente cauſâ occaſionali. Sicuti è contrario ſubinde ludicris & nullius momenti periaptis eædem ſolâ imaginatione *Archeum* afficiente fugantur. *Archeus* injecto improviſo timore & angore expaveſcens aliquando extemplo tollit quartanas pertinaces, adverſo ſpirituum ſeu liquidi nervei motu

ELENCHUS
CAPITUM.

I. CAPUT. Quidditas & Eſſentia febris.

II. Motus febrilis planè violentus & coactus, adeoque illum, ut primùm fieri poteſt, exhibito ſpecifico tollere aut ſuſpendere permiſſum.

III. In cortice Peruviano agendi & febres fugandi modus.

IV. Circumſtantiæ & Cautelæ ante corticis Peruviani exhibitionem obſervandæ.

V. Expurgatio corporis ante corticis exhibitionem non in omni febri utilis ac neceſſaria.

VI. Quâ methodo & quo tempore cortex Peruvianus in febribus intermittentibus exhibendus.

VII. Nonnulla ſub Corticis Peruviani uſu obſervari digna.

VIII. Purgatio poſt exhibitum Corticem raro neceſſaria, ſæpè inutilis, plerumque noxia.

IX. Symptomata febres præpoſtero Chinæchinæ uſu ſuppreſſas non raro ſequentia quomodo tractanda & curanda.

X.

X. Cortex Peruvianus adæquatum in febri quartana remedium.

XI. Cortex Peruvianus providè & cautè adminiſtratus tutum ſatis & efficax in febribus continuis remittentibus medicamentum.

XII. Corticis Peruviani efficacia in variis aliis morbis & præcipuè iis, quibus junctæ ſunt commotiones febriles.

XIII. Corticis Peruviani componendi ſeu miſcendi neceſſitas.

XIV. Corticis ſecundùm varias febrium indicationes miſcendi artificium & varia exempla.

Liber ad Autorem.

Non puto præſenti quòd me conſcripſeris ævo,
Nam tibi cur odium ſponte creare velis.
Nôſti materiæ genium, quot nacta ſit hoſtes.
Quot præjudiciis *China* gravata gemat.
Non tamen hæc curas, muſisque faventibus ortum
Das mihi, das lucem, Zoili ad invidiam.
Poſt annos melior ſi *Chinæ* illuxerit hora,
Crede mihi, punctum tunc liber omne feram.

Quid-

CAPUT. I.

Quidditas & Eſſentia Febris.

Legent procul dubio Profeſſores noſtri corrugato ſupercilio inexſpectatum libri titulum: *Archeus febrium faber & medicus.* Quid, inquient, ille cum *Archeo*, qui dudum *Helmontio* contumulatus eſt rurſum prodit in lucem? quid confuſum & obſcurum illud in theoria medico-practica monſtrum orbi literato obtrudit? Verùm bona verba Amici. *Legant priùs* (Divi *Hieronymi* effatum eſt Præfatione in *Iſaiam*) *& poſtea deſpiciant, ne videantur non ex judicio, ſed ex odii præſumptione ignorata damnare. Perit* enim inquit *Seneca, omne judicium, cùm res venit ad affectum.* Parum me quidem habet ſollicitum, quem ſenſum alii huic vocabulo tribuant, in mea ſententia non eſt phantaſiæ quoddam ſimulacrum, ſed ens revera exiſtens, plenâ inſignitum activitate, ad vitaliter efficienda ea, quæ ad corporis humani conſervationem pertinent.

Deſcribo igitur, quod ſit vis & poteſtas animæ radiativè in fluido corporis tenuiſſimo (quod aliàs ſpirituum animalium nomine venit) & emanativè in ſolidis exiſtens, per & juxta leges Mechaniſmi limitata ad vitaliter agendum in Machina animali organica,

id eſt, ad partium fluidarum & ſolidarum motus, circulatorios, ſecretorios, excretorios, tonicos &c. perficiendos, ut illorum beneficio corpus à corruptione, putrefactione, & præmaturo interitu præſervetur. Demortuum quid foret decantatus ille ſolidorum mechaniſmus, ſi ejuſmodi principio vitali careret. Gratis aſſinguntur motus à Deo ſolidis inſiti ſi ejuſmodi præſide & directore deſtituantur, in vanum à ſola ſolidorum varia compage ac ſtructura, veluti in Automate artificiali motus vitales petuntur, niſi nexum habeant principii viventis, & vitaliter moventis, quod quo nomine quis velit indigitare, an vitæ, aut ſpiritus vitæ, an Archei, aut naturæ, per me licet de verbis enim cum nemine contendemus. Sufficit, quod poteſtas animæ in vitæ nexu nupta fluidis ſolidiſque, eorumque mechaniſmo limitata vitæ cuſtos ſit, omnium in corpore animali effectuum promotor, porrò ut ſanitatis, ſic morborum faber & medicus.

Archeum hunc in ſtomacho veluti throno reſidere credidit *Helmontius*. In eo namque veluti peculiari ſuo ſenſorio omnium ingeſtorum, ſive alimenta ſive Medicamenta, ſive venena ſint, utilitates atque noxas percipit & diſtinguit, ſuaſque indignationes, furores, angorem, metum, variaſque morborum ideas, concipit, & mediante fluidorum ſolidorumque mechaniſmo regulares motus in irregulares & inordinatos commutando, varios morbos & febres ipſas concitat.

Jam ab omni ævo febris habita eſt pro re ſive pathemate præternaturali. Sive enim Antiqui

tiqui medici cum *Avicenna* dicerent eſſe calorem p. n. in corde accenſum, & inde in totum corpus per arterias diffuſum, actiones naturales impedientem; ſive Recentiores cum *Williſio* definirent eſſe inordinatum ſanguinis motum, ejuſque nimiam efferveſcentiam, quâ œconomia animalis variè perturbatur. Sive cum *Ettmüllero* deſcriberent eſſe actionem fermentationis maſſæ ſanguineæ depravatam, unde toti corpori multa eveniant incommoda, ſemper ſub quocunque tandem conceptu indigitabatur febris ceu productum p. n. actiones corporis humani naturales ac vitales impediens, conſequenter ſanitati atque vitæ maximè noxium, donec tandem hoc ævo ingenio humano novaturienti placuit ſententia è diametro contraria enunciare, febrim eſſe motum naturæ omnino ſalubrem, adeoque neutiquam tam citò quàm fieri poteſt, ſupprimendum aut tollendum. Quæ quàm firmo ſtet talo, mox innoteſcet febrium tam intermittentium quàm continuarum naturam exactiùs penſitanti.

Febrim eſſe affectum tum fluidorum (quæ lenta, ſpiſſa, acriave reddita ſunt) irregulariter & turbatè circulantium, tum ſolidorum ſtimulatorum, ideoque ſpaſmodicè conſtrictorum extra dubium eſt, ex iis enim & fiendi modum & febrilium ſymptomatum cauſas verâ & non imaginariâ quadam hypotheſi deduxeris, quâ ſolidorum ſtrictura & hinc conſequente fluidorum remorâ, ſtaſi aut motu irregulari abunde contenti ſunt mechaniſmo addicti, neque ulteriorem indaginem ad febres feliciter curandas neceſſariam judicant.

Verùm enim verò ſupponit hæc tam fluidi quàm ſolidi depravata diatheſis, ceu febris productum, alium vitioſè diſpoſitum autorem. Nemo ex Mechaniſmi patronis negaverit ſolidorum illam vim ſyſtalticam, quâ coortâ febri tanto impetu in ſubigendos hærentes ſuccos inſurgit, eſſe motum vitalem, nemo ex Humoriſtis inficiabitur, ſanguinis & cœterorum liquidorum intenſiores curſus, periodos, ad has vel illas partes determinationes ad eandem quoque claſſem pertinere, & quia vitales ſunt, atque in machina vivente contingunt ab ipſa vita principio vitali, aut *Archeo* (qui ab ἀρτὴ quod Græcis principium eſt, appellatur) inchoari dirigi, abſolvi, ut quidquid ſolida, id eſt omne nervorum tentum in univerſo corpore irritat & ſtimulat quidquid fluida ab ordine & circuitu deflectit, primario ipſum *Archeum* afficiat. Tolle enim hanc poteſtatem vitaliter moventem, nec intendetur ſolidorum elater, nec ſpaſticæ fient conſtrictiones, nec fluidorum motus irregulares, adeoque nec febres, etſi materiæ aliàs febriferæ in corpore præſentes forent. Unde excell. *Stahlius in Diſſ. Anchiater* c. 7. febres appellat *dumtaxat intenſiones motuum vitalium ſecretoriorum & excretoriorum ab ipſa Natura humana ſeu anima vitaliter movente ad conſervationem corporis inſtitutas & directas.*

Primum igitur agens in febribus eſt *Archeus*; qui à quacunque demum cauſa occaſionali irritatus ſuccum cerebralem magnâ copiâ per nervos ad cordis muſculum determinat, unde ejus motus augetur & acceleratur cum quo ar-

teria

teriæ & in iis contenta liquida vehementius concutiuntur, ipſeque intra nervos ſuccus varios ſubit motus irregulares, unde ſolidorum ſtricturæ atque convulſiones.

Neque enim cor aut alii muſculi adinſtar Automati ex motu inſito moventur independenter ab influente liquido nervoſo, ſed ejus plus minùs citum ac frequentem inſtillationem eſpectant, cujus ratione celeriùs, vehementiùs, ordinatè, inordinatè moventur, quo fit ut cor ſubſultando pulſationes augeat, & ſanguis ob violentiam, quâ à corde impellitur, varias hinc inde moras nectere, in arteriolarum extremitatibus hærere, intra viſcera verò fervorem concipere cogatur, unde ſanguine magis expanſo varias omnis generis vaſorum ſtructuras, obſtructiones, & liquidorum ſtaſes, aut effuſiones ſecretorias, excretorias, aut metaſtaſes conſequi neceſſe eſt.

Effectus igitur cum efficiente non eſt confundendus. *Archeus* excandeſcens primus patrator eſt, cœtera jam enarrata ſunt productum. Patet hoc & probatur ulterius ex eo, quod interdum ex ſola imaginatione, ira, objecti terribilis horrore, & vel nudo rerum nauſeam concitantium conſpectu, qualia exempla mihi nota ſunt, febres excitentur, etiam nullâ in corpore præſente cauſâ occaſionali. Sicuti è contrario ſubinde ludicris & nullius momenti periaptis eædem ſolâ imaginatione *Archeum* aſſiciente fugantur. *Archeus* injecto improviſo timore & angore expaveſcens aliquando extemplo tollit quartanas pertinaces, adverſo ſpirituum ſeu liquidi nervei motu

concitatiores febriles motus ſiſtens & commutans, etiam citra ſenſibilem expulſionem materiæ cujuſdam peccantis. Ita ab arſenico exhibito tanquam præſentaneo veneno repentinus *Archeo* injectus terror mox febres extinguit. Rationem reddit verbis cum noſtra hypotheſi eleganter correſpondentibus ſupra laudatus *Stahlius :* Dum natura inquit non tam noxiam quàm moleſtam ſaltem rem, cruditatem aliquam viſcidam tenacem, aut aliquid cum nauſea deglutitum & morâ longiore in ventriculo colliquatum emollire diluere, emoliri atque evomere apparat; Hoc ipſum verò cum aliquo faſtidio tractat, non vegetè non vehementer, ſed otioſè & cum aliqua tergiverſatione, imò cum majori fere indignatione quàm executione, in hac otioſa indignatione conſtitutæ naturæ ſi venenum objiciatur, corruptio, mors, an mirum hic eſt oblivi ſci omnis languidi moliminis, omnium motuum adverſus leve quoddam moleſtum ordinandorum & dirigendorum, & contra longè aliud quid contra periculoſiſſimas noxas derepente oblatas & intentionem ſuam & actiones dirigere. Ita *Stahlius.* Unde *Friccius* in Tractatu de venenis hanc format theſin: *Si centum eſſent cauſtica venena, tot eſſent antifebrilia remedia.* De qua niſi hic extra ſphæram foret, perquam curioſus formari poſſet diſcurſus.

Ratum igitur manet, quidquid dicat *Alphonſus Borrellius*, iſtam *Archei* excandeſcentiam ſeu vitalem naturæ motum meras eſſe ineptias & caſſas voces, *Archeum* irritatum

&

& in thymoſin actum ſuſcitare febres, écon-
tra apto remedio vel etiam gaudio (quo ex
inſperato patris adventu concepto filiam à
diuturna quartana priori anno mox liberatam
novi) aliove pathemate placatum ſedatumque
fugare.

Ubi tamen certa requiritur conditio, non
enim à quacunque cauſa occaſionali irritatus
motum illum, qui febris dicitur, ſuſcitat,
ut patet in mania, epilepſia, affectu hypo,
chondriaco, hyſterico, aliiſque morbis con-
vulſivis, ſed tantùm quando agitur de ſan-
guinis mixtione & craſi mutanda, perverten-
da, vel quandoque etiam totaliter, ut in ſy-
nochis putridis & malignis, deſtruenda. Nam
ſi hujus metus abſit, plures quidem aliæ ab
ab *Archeo* excandeſcente turbæ in œconomia
animali, nullæ verò febres ſuſcitantur, unde
neceſſe eſt adſit materia occaſionalis, quæ
talem mixturæ in ſanguine deſtructionem mo-
liri valeat, ſive jam intra ejus ſinum conti-
neatur, ut in continuis, ſive aliunde ex ſto-
macho, aut alio viſcere adveniat, ut in in-
termittentibus. Et illa cauſa eſt, quare &
febri convulſiones & convulſioni febris non
raró accedat, pro ut cauſa occaſionalis *Ar-
cheum* irritans aut intra vel circa nervos ſta-
bulatur ſanguine libero, unde ſpaſmi ſinè fe-
bri, aut maſſæ ſanguineæ communicata cor
& vaſa ſanguifera ſtringendo febrim unà
ſuſcitat. Notabile eſt etiam in graviſſimis
peſtilentiis apud plures nullam obſervari fe-
brim, eò quod *Archeus* terrore concepto de

 Victo-

victoria deſperans contra hoſtem jam in vitæ ſede conſtitutum non inſurgat.

Quibus ſic ſtatuminatis pateſcit definitionem *Helmontii* Viri ad reformanda & exornanda artis dogmata à Deo electi ſatis eſſe concinnam; nempe *febrim nil aliud eſſe, niſi motum & niſum Archei irritati indignantis & conantis expellere cauſam occaſionalem tanquam ſibi impactam ſpinam.* A quo ſanè non diſſenſit *Thomas Sydenhamius* definiens febrim nil aliud eſſe quam naturæ conatum materiæ febrilis exterminationem in ægri ſalutem omni vi molientis. Nec ipſe etiam *Ettmullerus*, cui febris & motus naturæ ſivè quædam ejus lucta, qua ſpirituum plus minùs alteratorum ope & fermentati in ſanguine motus auxilio, id quod hoſtile ſeu inimicum œconomiæ animalis exiſtit, eliminare ſatagit.

Ego hypotheſi meæ hanc definitionem ſuperſtruo. Quod ſit motus naturæ ſeu *Archei* violentus planè & coactus, & ſæpe inanis, in fluidis & ſolidis irregulares & inordinatos motus excitans, in ægri plerumque perniciem, interdum per accidens in ſalutem vergens. Videbitur multis paradoxa hæc definitio, & Recentiorum ſententiæ, qui omnem febrim pro conatu naturæ abſolutè bono ad quid noxium expellendum habent, penitus contraria. Conabimur tamen eandem ſeqenti capite ſat ſolidis argumentis, quæ eruditi Lectoris aſſenſum facilè impetrent, ſtabilire & indubitatum reddere.

CA-

CAPUT II.

Motus febrilis planè violentus & coactus; adeoque illum, ut primùm fieri poteſt, exhibito ſpecifico tollere aut ſuſpendere permiſſum.

De conſequentis veritate nemo dubitabit, ſi antecedentis duo capita probavero, nempe *Archei* ſive naturæ motum eſſe in febri violentum, & coactum, eumque non ſemper in Individui ſalutem intentum. Quod ſimultaneè ſic demonſtro.

Febrim naturæ ſive *Archei* motum eſſe mecum conſentiunt Viri præcipui, *Helmontius*, *Morthonus*, *Sydenhamius*, *Ettmullerus*, *Stahlius*, aliique innumeri, ſed eſſe utilem, eſſe conſervationi corporis humani unicè deſtinatum, hoc eſt, quod in quæſtionem venit. Dic igitur ſalutis humanæ aſſertor, ſi febris ita ſalutaris naturæ motus eſt, an etiam quæ illam comitantur & ſequuntur, corporis inquietem, artuum dolores, laſſitudinem, virium jacturam, deliria, ſitim inextinguibilem, apotitiam, cephalalgias, cardialgias, convulſiones, verbo actuum tam animalium quam vitalium confuſiones & depravationes ſalubres & individui commodum directas judicabis? Profectò hæc malè ſe defendentis naturæ molimina ſunt, quæ in febribus continuis & continentibus dubiam *Archei* laceſſiti luctam faciunt.

ciunt. Si hæc ſymptomata ægrotanti abeſſe expedit, & medico in votis eſt, cur non &, quæ illorum cauſa eſt, febrim? non inficiamur ſub motu febrili ſolidorum fortiori attritu, qui non raro tantus, ut in diatheſin ſpaſmodicam abeat, ſuccos ſpiſſiores per accidens comminui & attenuari. Sed nunquid hæc tritura & tenuatio ſanguinis & ſuccorum expeditior fit ſub ſanitatis ſtatu, & motu ſanguinis debitè & regulariter progreſſivo extra febrim, quam ſub illius motu inteſtino & circulari aucto¿ nunquid melius ſub ſolidorum elatere juſto & mediocri, quàm eorundem acta vi ſyſtaltica? nunquid ergo ſatius eſt febrim mox abeſſe, quàm in longum ſub coctionis neſcio cujus vana ſpe protelari? Quis neſcit ſecretiones excretioneſque laudabiliùs ſub ſanitate quàm febribus fieri, quis ergo illas à febri ſalutares exſpectet ubi ſæpe viſcera tument, ſolida rigent, cerebrum premitur, tendines ſubſultant, fluidorum emiſſaria penitus feriantur? ut ſucci ſpiſſiores attenuentur, terantur, comminuantur, & ab æquabili circulo deflectentes in viam reducantur, non opus eſt *Archei* furore & excandeſcentiâ, hoc enim ſub quiete promptius rectiuſque exequitur. Sub vehementiori febrium motu ſanguis craſſior ſpiſſatur, non tenuatur, quaſſatur, non comminuitur, cogitur non ſolvitur, lenteſcit & ſtagnat, non fluidificatur quis ergo motum naturæ utilem judicaverit?

Febris ignis eſt, ſic eam appellat *Hippocrates*, ſed profectò fatuus, qui in præcipitia ducit. Ab hac exſpectare fluxilitates & coctiones

nes humorum mentis quædam illuſio eſt, quæ præcipui in febribus inter æſtuantia viſcera exacerbatione vel æquali ſemper furore ſævientibus plurimos jam fatiſcentes, jam viribus fractos, nullis interim ſequentibus evacuationibus ita ſollicitè à natura exſpectatis ad tumulum deduxit, quos remedium ſpecificum maturè datum retrahere & ſervare potuiſſet.

In aprico eſt febres mox tollere appetitum, concoctionem, digeſtionem placidam, egeſtionum inutilium, & ſic turbare univerſum nutritionis negotium. Quis dixerit hæc à natura ad conſervationem individui, & ad expulſionem omnis noxii intenta eſſe?

Febrim eſſe naturæ motum ſpontaneum in corporis conſervationem & à ſonticis periculis liberationem intentum conceptûs fallacia eſt. Nunquid præſtat non vellicari nervos, non contrahi ſpaſmo? Nunquid præſtat fluida intra vaſa modeſtè circuire, nullibi impingere, nullibi moras nectere, non arietare? At his omnino contraria in febribus contingunt, nunquid igitur has protinus fugare præſtabit, ac iſtum Archei furorem ac tumultum ſpecifici quaſi poppiſmo maturè delinire & compeſcere, quàm ſuo impetui relinquere? Si quis diceret choleras protractas, diarrhœas, ſingultus, vomitus, convulſiones, hæmorrhagias eſſe motus vitales auctos ſive *Archei* irritati materias laceſſentes expellere conantis niſum, adeoque nullatenus tollendum, nunquid ſe ridiculum faceret? nunquid hoc foret iſtis evacuationibus favere, &, quod piaculum, cauſas irritantes fovere? ô miſeram *Archei* ſeu na-

naturæ conditionem, quæ cum impetu & violentia excandeſcit contra hoſtem inquilinum, quod nunquam non ſalubre putatur, cùm tamen ſic non rarò è febri intermittente reddatur continua, & frequentiſſimè accedente viſcerum inflammatione maligna. Eſt ergo febris *Archei* motus, ſed certè coactus, violentus, imo plerumque inanis, qui frequentiſſimè in ruinam corporis cedit, unde febres ſaginant cœmiteria, depopulantur urbes & caſtra, ut pluribus in caſibus expediat, imò neceſſum ſit iſtos *Archei* motus etiam inchoantes mox ſiſtere, & interim per convenientia media & vias congruas cauſas occaſionales paulatim eliminare.

Motum hominis irâ excandeſcentis naturalem eſſe, & ad injurias à ſe pellendas directum nemo inficiabitur, interim eundem individuo ſummè noxium, imò quandoque lethalem fuiſſe docet experientia, motum verò febrilem ſubjectis ſuis noxium eſſe oſtendunt læſæ actiones, conſtrictiones viſcerum ſpaſticæ, commotiones liquidorum irregulares, ſtaſes, excretiones ceſſantes, extravaſationes, quæ omnia ſunt naturæ dejectæ maleque ſe defendentis argumenta. Quis ergo ſanæ mentis eum non conpeſcendum judicabit? certè qui motum illum vi morbi inductum ſervandum putat, morbi non naturæ ſe præbet miniſtrum.

Replicatis: *Archeus* ſeu natura quot movet paroxiſmos, tot ciet motus ſalubres pro eliminanda peccante materia: Si creditis hoc verum, fallimini. Nil enim plerumque minùs ſequitur, quam hujus radicalis emotio.

Tru-

Trudit paroxiſmus paroxiſmum ſæpe ad plures menſes, imò in quartana ad annos, & tamen non eliminatur febrilis fomes, non tolluntur febres, ſed indies evadunt contumaciores & magis radicantur. Nunquid ergo inanis & fruſtraneus ille naturæ motus eſt, quem tam ſollicitè ſervari & nullatenus ſpecifico ſufflaminari jubetis? interim ingraveſcunt obſtructiones, exhauriuntur vires, viſcera àmittunt tonum, & ægrotus in lentas tandem & hecticas, imò in tumulum ſub iſto naturæ motu deducitur. Statuendum ergo *Archeum* in febrili motu pati magis quàm agere, offendi potius quàm recreari, debilitari quàm roborari, & crebrius ſubjacere quàm ſuâ ſponte adipiſci victoriam, perverſis enim illis motibus toties & tamdiu repetitis mixtio ſanguinis deſtruitur, & corruptela putredinoſa inducitur, ut tandem poteſtas ipſa vitalis ſuccumbere cogatur. Docuit hoc ipſum hiſce annis experientia in pluribus, quos vel indigentia à remediorum uſu, vel medicorum, qui naturæ motum non ſupprimendum putabant, præjudicium à ſpecificis arcebat. Protractas namque febres gravia ſymptomota œdematoſa, ſcorbutica, hypochondriaca imò apud plures lethalis hydrops excepit, quæ iis maturè ſublatis conſecuta non fuiſſent. In his meritò accuſanda fuiſſet novercans natura ob neglectam ſui officii ſollicitudinem & curam, quâ talia exitioſa ſymptomata averruncare debuiſſet, ſi febris generaliter non niſi motus ſit naturæ ad hominis conſervationem directus. Certè cum febrim ex neceſſitate conſequentiæ concitentur ſympto-

ſymptomata ſæpe corpori periculoſa & facilè in ejus deſtructionem tendentia, præſtat naturam maturè à tali conatu temerario avocare, quàm hominem ſtatui ancipiti & ſiniſtris & periculoſis eventibus ſubjicere.

Staſes inflammatorias, & gravia vulnera febris excipit, & dantur quoque intermittentes malignæ, ut *Neucranzius* & *Tilingius* eleganter oſtenderunt, in his nemo niſi demens iſtum naturæ motum bonum & ſalubrem dixerit, licet fortaſſis ad quid nocivum expellendum ſuſcipi credatur. Verior eſt celeberrimi *Boneti* Epicriſis. *Nos exiſtimamus febrem omnes lædere actiones per ſe, & quidem ſi non omnes, tamen potiſſimas, ſi verò nonnullis morbis auxiliares præſtet manus id fieri per accidens.* Et Expertiſſimus *Ballonius*; *Calor omnis febrilis malus eſt, præſertim ſi putredinalis ſit, quamvis ſi materiæ ſit analogus, & materia multa ſit cruda & frigida, conferre poſſit.*

Valeat ergo cum ſuo Decreto *Campanella l. 1. d. ſenſu rerum c.* 13. *febrem non eſſe rem perniciosam, ſed utilem, & hoc arcanum de febre latere medicos*. utilitas illa ſanè anguſta eſt, potius omnis febris per ſe eſt pernicioſa, quia motus *Archei* mutatus, perverſus, aut inverſus, licet ex accidente & quadam conſequentiâ interdum utilis eſſe poſſit ſicuti, *Hippocrates* Caducum quartanâ ſublatam, & paralyſin mirabilem à tertiana diuturna curatam memorant *Ephemerides Germaniæ Curioſorum Decas.* 2. *ann.* 2. *obſ.* 156.

Ex quibus ſic deductis abunde diluceſcit, febrim ſive *Archei* aut naturæ à cauſa quacun-

que

que occaſionali irritatæ motum coactum atque violentum, quam primum fieri poteſt, & poſſe & debere tolli, idque vel cortice peruviano vel quocumque alio ſpecifico, ubi tamen mox in initio lectorem monitum volo me non intendere, ut ſic paroxiſmi tantùm impediantur & febris ſupprimatur; hæc enim illegitima & vitioſa foret methodus, ſed ut ſimul materia vitioſa ubicumque tandem deliteſcens, ceu cauſa occaſionalis irritans, qualicunque correctione aut expulſione è corpore tollatur, non enim ſufficit pacatio excandeſcentis *Archei*, niſi omnis anſa ejus furori aliàs redituro amputetur, quod debitis ad corticem vel additamentis vel ſupplementis præſtari poſſe ſuo loco oſtendam.

C A P U T. III.

In cortice Peruviano agendi & febres fugandi modus.

Priuſquam meam de corticis agendi modo ſententiam in medium adducam, primùm unam alteramve ex aliorum hypotheſi enatam ſcrutinio ſubjiciam. Sunt qui ſtatuunt non infimi ordinis medici, febrium omnium intermittentium cauſam eſſe fermentum acidum, & quidem pro ratione febrium texturâ, gradu, & modificatione diverſum, à quo illarum variæ ſortes, anomaliæ, paroxiſmorum vagi errores, tranſmutationes, duplicationes &c. dependeant, quod primario in febribus

bribus peccans acidum non multis tantùm rationibus ſed & experimentis comprobare allaborant, indicat namque id gravis & acidulus ſudoris febrilis odor: lactis cum eo turbata mixtura: indicat ægro ſuppoſitæ chartæ cœruleæ in colorem purpureum mutatio, ac ſi corroſivo quodam ſpiritu tacta fuiſſet: demonſtrat ſanguinis ab incautis è vena emiſſi coagulandi promptitudo, evincit experimentum chymicum, quod oſtendit ſanguinem febricitantis ex retorta diſtillatum minorem copiam ſalis volatilis exhibere, quàm eadem ſanguinis ſani quantitas. Perſuadet ſæpe vomitu è flavedine in viriditatem vergentium ejectorum acor, os contrahens & dentes ſtupore afficiens. Taceo nonnullorum poſtulatum, abſque acido in rerum univerſitate nullum exiſtere calorem, adeoque neque in ipſis febribus.

Juxta hanc hypotheſin curationes febrium non niſi per præcipitationem iſtius fermenti acidi fieri, adeoque peruanum corticem vi tantùm alcalica acidum febrile præcipitante & figente operari contendunt. Verùm imaginaria eſt hæc fermenti febrilis præcipitatio. Fermentum acidum agente contrario alcalico præcipitatum inverſumque docente mechanicâ ad priſtinam refermentandi naturam non redit, fermentum autem febrile cauſans recidivam vires priſtinas recipit, licet ex ſuppoſito per corticem præcipitatum fuerit, ergo ſequitur neutiquam præciptatum fuiſſe, adeoque corticem peruvianum præcipitando non agere.

Si cortex vi alcalinâ ageret, peſſimâ methodo

do exhiberetur cum acidis, cum quibus tamen mixtum propinatumque majorem vim exſerere produnt obſervatores; ut id nonnulli pro arcano habeant; imò ſi vis in cortice alcalina, ſi quæ ſit potenti acido e. gr. oleo ſulphuris p. c. (adjectis ad unciam unam aliquot drachmis, ut alicubi habet deſcriptio) ſupprimatur, nihilominus tamen febrium paroxiſmos tolli annotatum eſt. Unde ſequitur non agere vi alcalicâ quà tali. imò potius alcali corticis cum ejuſmodi acidis in enixum abiens inſtar ſalium neutrorum vim abſterſivam & aperitivam majorem acquirit.

Accedit, quòd in multis febribus, in quibus ſanguis non tam peccat acore, quàm lentore & viſciditate, cortex nihilominus efficax reperiatur, ut ſi ejus corporea textura ſpectanda ſit, potius particulis acribus inſigniter amaris & aromaticis (nam folia & flores arboris, apud incolas Gannaperidæ vocatæ, unde cortex, amaritie, adeoque virtute febrifugâ deſtituuntur) mucum in primis viis attenuantibus, reſolventibus, detergentibus, & excretioni per alvum aut vias urinarias aptum reddentibus vis febrifuga deberi videatur, credo namque potiſſimas vires corticem ſub prima digeſtione ſeu reſolurione ventriculi exerere, ut infra pluribus oſtendam.

Alia & communior ſententia eſt, corticem eſſe terreo-ſalinum, adeoque vi ſtipticâ agere, circa quem effectum mirum quas idæas nonnulli foveant, *Guilielmus Cole* particulas corticis ſtipticas ad cerebrum delatas nervorum poros obſtruere & quaſi claudere opinatur,

tur, ne materia febrilis eos ingrediatur & vellicando paroxiſmos excitet. Sed quis non videt qualia ex hoc abſurda ſequi neceſſum ſit? ſolemnis ille corticis è ſtomacho cum chyſo in ſanguinem, è ſanguine in corticales cerebri glandulas, ex illis in cerebri meditullium, ex hoc in univerſi ſyſtematis nervoſi poros & partes quaſlibet ſolidas, & demum ad exiliſſima in ſuperficie corporis vaſcula corporalis progreſſus & commeatus à Viro hoc ingenioſè effictus commento & fabulæ Romanicæ propior eſt quàm hiſtoriæ naturali. Alii corticem vi ſtipticâ ſanguinem conſtringere, & ſic ejus orgaſmum febrilem impedire ſibi perſuadent, adeoque ex radicibus & corticibus Europæ amaricantibus & aſtringentibus corticis peruani ſuccedaneum iiſdem plane viribus & agendi celeritate & certitudine inſigne effingi poſſe ſibi imaginantur, verùm quam ſub tritura ſtomachi à ſolvente gaſtrico vitali quaſi alcaheſtino ſolutionem ac mutationem accipiat cortex, quam in duodeno cum bile & ſucco pancreatico mixtionem, quam demum in ipſo ſanguine operationem, quis mortalium indagabit? vel igitur ſub hac digeſtione vim ſtipticam aſtrictivam amittit, & conſequenter nullus ex illa in ſanguinem erit effectus, vel ſervat. Fingamus igitur illius ingreſſum in ſanguinem, quid fiet vaſis chyliferis tenerrimis, per quæ illi tranſeundum, nunquid tali aſtrictione maximè coarctarentur & variæ chyli & lymphæ ſtaſes, coagulationes & obſtructiones cauſarentur? quod cùm fortè agnoverit *Cl. Rega Tr. de Sympathia. p.* 170. chinam-

nam-chinam dumtaxat in ſtomachi virtutem exerere, & aſtrictione impedire concipit, quò minus ex maſſa ſanguinea in ventriculum depluat materia febrilis.

Sed quis non ridet etiam hoc agendi modo corticem magis noxium quàm utilem futurum? ſi enim conſtructis ſtomachi poris efficit, ut materia febrilis in ſanguine permaneat, & non excernatur in ventriculum, eum potius ſummè vitandum ſequeretur, quatenus peccantem materiam in ſanguinis gremio in manifeſtam ægri perniciem concludit & quaſi incarcerat. Dicerem potius amaro-ſtypticis moleculis membranoſas nervoſaſque ventriculi fibrillas ita blandè conſtringi & in tono ſervari, ut per conſenſum univerſum nervoſum membranoſumque ſyſtema ita roboretur, ut ſtricturas ſpaſmodicis fortiter reſiſtens motus febriles ſuſcipere detrectet, ſi autem ex illo fortè quid in cruorem abeat (ab aſſumptis duabus drachmis vix dimidiam drachmam ſubire credit *Sponius*) putarem dumtaxat eſſe atomos quaſdam balſamicas à ſtomachi menſtruo volatiliſatas, quæ non agant in ſanguinem conſtringendo, inſpiſſandoque, quod maximè foret noxium, ſed attenuando, & fluiditatem ac motum in ſanguine naturalem, febrili contrarium conſervando.

Porrò fortiter contra virtutem corticis peruani ſtipticam militat id, quod memorat Cl. *Mangetus*, nempe ſe non ſemel totam tincturam atque etiam amaritiem corticis per iteratas eaſque longas tum coctiones tum macerationes in ſpiritu vini aut aqua ſale tartari

vel abſinthii vel centaurii minoris aliiſque acuatâ extraxiſſe, non ſic tamen minùs, quod reſtabat corporis illius corticis inſipidum prorſus ac tanquam caput mortuum, febres reſtinxiſſe, dum illud largâ exhiberet doſi, imò minus moleſtiæ ſæpe creâſſe ſtomacho, quàm ſi crudum corticem obtuliſſet, quia ſcilicet coctione ac digeſtione ſolutus ſuccus ventriculi facilius obediret, de quo experimento cùm non dubitare permittat tanti in Rep. medica viri authoritas, diluceſcit neque à corticis amaritie neque vi ſtiptica vim febrifugam dependere, cùm in eius capite veluti mortuo adhuc quid latere reperiatur, quod æquè promptè ac in cortice indivulſo febres debellet. Qui curioſus eſt, id experimentationi ſubjicere poteſt. Ego hactenus id tentare nolui *Raii* authoritate permotus aſſerentis, corticem extractâ tincturâ viribus deſtitutum reperiri.

Prætereo alias ſententias, imprimis iſtius neoterici Angli ridiculam, juxta cujus phantaſiam febres intermittentes à vermiculis per certos dies in ſanguine ſe moventibus & alternatim quieſcentibus dormientibuſque dependent, ut, quia cortex helmintagogus eſt, etiam ſit febrifugus, verùm relictis nugis ad noſtram ſententiam progrediamur.

Dico igitur corticem peruvianum eſſe verum ſpecificum *Archeale*, pacans, placans, ſedans ſpiritum impetum facientem ſeu *Archeum* à cauſis irritantibus exacerbatum, idque ex dote ſeminali à Creatore huic cortici ad humanas neceſſitates indita, quæ quidem ſub ſpecificæ amaritudinis, cui in nullo alio mundi ſubjecto

tio

to eſt ſimilis, velamento latitat, non tamen aut à textura alcalina, aut variis *Carteſii* particulis hamatis umatiſque dependet, quod cum ſit ſummi Conditoris artificium, nemo artificiali miſcellâ aſſequetur.

Si quis in caſu morali ab hoſte aut hoſpite domeſtico ad iracundiam incitatus furiat, æſtuet, tumultuetur, ſi repente acceſſerit gratus amicus, qui verbis mollioribus animi motus leniat, mox conticeſcit ira, ceſſant turbæ, & effrœnes corporis commotiones. Quo ſtratagemate Regum principumque funeſtas iras ſæpe populus demulſit, & ipſi belli Imperatores militum ſeditioſorum ſtitêre tumultus. Eodem planè modo in caſibus phyſicis & præſertim febribus, quando *Archeus* laceſſitus in furorem & perturbationem rapitur, ſi exhibeatur cortex, grato ejus acceſſu & contubernio ſerenatus recreatuſque brevi tempore à furore variaſque ob cauſas moleſtantes inductâ perturbatione ſponte penitus ceſſat, unde ſolidorum ſpaſmodicæ conſtrictiones, & ex iis in fluidis concitatæ Anomaliæ deſinunt, nec niſi nova fiat irritatio, revertuntur, ſi verò gratum hunc hoſpitem ex archei contubernio, priuſquam eliminatus fuerit hoſtis irritans, per purgantia alioſve in diæta exceſſus avulſeris, mox indignatus *Archeus* ad priſtinos redit tumultus recidivarum nomine indigitatos. Profectò ſublimis agendi ratio ſupra qualitates relolleas longè elevata, qualia medicamenta pauciſſima tantùm naturæ penus ſuppeditat, ut vera dici poſſint cum *Helmontio* amoris pignora illius, qui non

creavit remedium exterminii, ſed ſanabiles fecit omnes nationes.

Plurima ſunt, quæ hanc in cortice energiam archealem confirmant, quæ non tantùm ſe exerit eodem in ſtomachum demiſſo, ſed & ſuperficiei corporis applicato, ſi verum eſt novum illud experimentum à Doctiſſimo medico Doctore *Welſtedio Guilielmo Lole* communicatum, nempe cataplasmate ex cortice peruviano ſubtiliſſimè pulveriſato cum ſapone nigro in debitam conſiſtentiam redacto, carpis admoto febres tolli, cujus vim in puero expertus ſum, & profectò niſi cortex in *Archeum* ageret, ridiculum eſſet eum clyſteribus miſcere, & methodo *Helvetianâ* ano injicere, ubi corporetenus ſe miſcet ſtercori ibidem reperto, & in ſtercus mutatur, virtute interim ejus ſpirituoſâ dotali ad *Archei* penetralia abeunte. Qui enim moleculis ejus materialibus poteſtatem febriſugam adſcribunt, quomodo non ſuſceptâ priùs in ventriculo fermentali proprietate primæ digeſtionis & reſolutione infimâ per ductus chyliferos in ſanguinem transferatur, edoceant. Certè anile inventum foret Enema Chinatum, niſi *Archeo* perinde foret an per ſuperius an inferius guttur gratus hic hoſpes intraret, quamvis notandum ſit, cùm per portam poſteriorem acceſſus *Archeo* minus arrideat, ſic iſta clyſmata chinata non ſemper optatum effectum ſortiri. Hoc verò experientia confirmat, ſi infans lactans à matre contrahat febrem, & hæc per corticem ſanetur, ſponte quoque in infante febrem ceſſare, nemo tamen credo dixerit

cor-

corticis particulas per uberâ ad prolem deferri.

Mirandum ſanè, quòd potenti energiâ in lympham nervoſam & ſanguinem agens turbet nihil, quod citra vim ſuccorum ſtagnationes ſolvendo, liquidis fluiditatem, ſolidis tonum, ſanguinis circuitui æquabilitatem & utriſque, (qui in febribus Therapejæ apex eſt) æquilibrium reddat & pacem. Quo agendi modo æmulatur opiata, quæ etiam febrifuga ſunt, & debitè parata pridie veſperi vel aliquot ante acceſſum horis exhibitâ non rarò febres tollunt, nullam ob cauſam aliam, quàm quòd *Archei* ſedent tumultus, unde & horum ſocietatem amat cortex, & quaſi ſubmiſſo adjutore fortiùs contra laceſſentes inimicos inſurgit. Quod ſtratagema eſt medicum.

Verbo, quàm acceptus *Archeo* ſit corticis adventus, abunde patet ex eo, quod vix per eum fugato paroxiſmo mox redeat color vividus, inſignis corporis alacritas, appetitus, vires, ſomnus quietus, & actionum omnium integritas, quod ab omni alio medicamento fruſtra exſpectaveris. Etſi autem ſedatâ archei perturbatione non ſtatim ſubacta aut expulſa ſit cauſa occaſionalis, *Archeus* tamen à cortice confortatus fugatis jam paroxiſmis veluti de febrium triumpho glorioſus animoſius potentiuſque ad fomitem penitus extinguendum inſurgit. Sexcenties namque obſervavi pacato per corticem *Archeo* febres ſponte ſine ſenſibili evacuatione materiæ peccantis penitus ceſſâſſe. Huic placando cortex ſolitarius ſufficit, viſcerum autem, ſi qui ſtricti obſtructique ſint,

laxandis tubulis congrua remedia ſunt ſuccenturianda.

C A P U T. IV.

Circumſtantiæ & cautelæ ante corticis Peruviani exhibitionem obſervandæ.

Audax enunciatum eſt Cl. *Crugii* Archiatri quondam Electoralis Brandeburgici *Ephem. Germ. Cur. Dei.* 2. *ann.* 10. obſ. 2. *Propinanda china eſt ante in & poſt paroxiſmum, & non attendere debes ad iſtas admonitiones, ut nempe non niſi purgato corpore & præmiſſis enemate & V. S. debeat china propinari & poſtea febre per chinam fugata iterum ſit, aliàs recidiva metuenda, purgandum, vana erunt illa evacuantia & remedia laxantia, ediſcite hoc juniores.* Quod quidem aſſertum ſi exhibitionem corticis ſolitarii concerneret, quod vix ſupponendum, (noverat enim certam & arcanam ejus præparationem teſte D. *Heinſio*) certè quò ad omnia non abſolutè ratum haberi poſſet, ſed valde foret limitandum, ne empyricæ febrium curationi patentiſſima via aperiatur. Si enim perinde eſt quo tempore exhibeatur China, ſi perinde, an impuro depuratove corpore, ſi perinde, an remedia convenientia illius uſui poſtponantur, fruſtra telam hanc texeremus. Profectò aliud hodie docet

cet experientia vel infauſtis caſibus vel ſaltem fruſtratâ curatione. Quocirca triplex therapeiæ ſtadium hic nobis percurrendum erit, nempe quid ante chinæ exhibitionem, quid ſub illius adminiſtratione, quid poſt abſolutum uſum ſit attendendum. Imprimis variæ ante hunc conſiderandæ erunt cautelæ & circumſtantiæ ratione regionum, ætatum, ſexuum, anni conſtitutionum, &c. de quibus hoc capite ſingulatim agemus.

Indubitatum eſt ſub diverſo regionum aëre eandem non eſſe, uti aliorum morborum, ſic & febrium gravitatem, pertinaciam & curandi facilitatem, neque remedia utut exquiſita ubique pares vires & effectus exerere, id quod etiam obſervare licet in china-china. Salubrior efficaciorque longe illa eſt incolis Peruanis, quàm Europœis, ſive quòd cortex illis ſit domeſticus, ſive quòd magis genuinus, ſive quod ob longa per oceanum itinera ad nos delatus viribus magis exhauſtus, ſive quòd fortè noverint exhibendi methodum nobis adhuc incognitum, ut aliàs circumſtantias taceamus. Sunt ex Italiæ Profeſſoribus qui eum ſuæ regionis incolis minùs efficacem aut ſaltem non ita tutum æſtiment, teſtatur de urbe & aëre romano celeberrimus *Baglivus* quòd in illo non ita felices eventus à China China Medici experiantur. Contrarium ſuſtinet de cælo Neopolitano *Carolus Miſitanus*, ſub quo ſcribit ſine cunctatione omni poſthabitâ ſegnitie, nec diu exſpectatâ coctione, in omnibus febribus intermittentibus, ſine omni formidine febris lentæ vel hecticæ propinandum eſſe ſub

quacunque præparationis larva corticem. Addit Romæ & Venetiis venale proſtare extractum ex ſola ejus coctione ſimpliciter confectum, quod obtineat virtutem paroxiſmos fermentumque febrile extinguendi & diſſipandi, ut vel rarò vel nunquam medicum aut ægrum fallat, modò debito tempore opportunè ac præmiſſis præmittendis exhibeatur.

In Gallia quæ ejus ſit efficacia ex ſcriptis *Blegnii*, *Sponii*, *Helvetii* aliorumque notum eſt Hic vel in febribus malignis extractum Quinquinæ non abhorret in forma ptiſanæ exhibendum præmiſſis dumtaxat aliquot enematis purgantibus, quibus & ipſum corticem immittit. Extractum illud ſatis elegans eſt, ſed & citra neceſſitatem pretioſum.

In Anglia quid effecerit Eques *Talbotius* quis in Hiſtoria medica verſatus neſcit ? ſat ſuſpectus illius uſus erat ob recidivas, cujus tamen ſola cauſa fuit ignorantia veræ exhibendi methodi, unde magnus ille Britanniæ Philoſophus *Boylæus* Tr. *de util. nat. Phil. part.* 2. *ſert.* 3. de illo aliud exhibet teſtimonium, ſi credendum inquit Magno *Dygbæo*, culpandus potius medicus quàm nobilis hæc medicina, ſi poſt hujus exhibitionem unquam revertatur febris, nam cum illum conſulerem ſuper hac re ſanctè mihi aſſeveravit ex 30 vel 40 circiter quartana detentis, quos hoc ſolo remedio curavit, ne vel duos relapſos eſſe. Innumeræ *Richardi Mortoni* tam in febribus continuis perodicis quàm intermittentibus per eum feliciter peractæ curationes de admiranda corticis

ticis apud Anglos efficacia ſufficienter teſtantur.

Quàm proſper per univerſam Germaniam hactenus fuerit corticis ritè adminiſtrati ſucceſſus Ephemerides Germaniæ Curioſorum, & Practicorum famigeratiſſimorum ſcripta loquuntur. Ego in Weſtphalia & provinciis adjacentibus triginta & quod excedit annorum ſpacio aliquot hominum millia à varii generis febribus mediante illo meâ methodo cœlo propitio liberavi.

In Hollandiæ plurimis locis, maximè mari adjacentibus, ob aërem, maris, paludum, foſſarum effluviis gravem, diætamque piſculentam & lactis ebutyrati uſum corticis effectus minus proſperos atque tutos experiuntur medici inquilini, unde Weſtphalos operarios, ſervos & ancillas, qui ingenti multitudine ad Bataviæ Friſiæque oras ſtipendii cauſa annuatim abeunt, ſi fortè febri, quod frequentiſſimè contingit, corripiantur, in patriam incuratos relegant, ubi brevi tempore ſub aëre Weſtphalico debito corticis uſu ſanitatem recuperant, & à febri & quod non raro accedit, pedum œdemate liberati. Teſtatur tamen Cl. *Stephanus Blancardus* ſe Electuario ſuo antifebrili ſudorifero, cujus baſis pariter Kina-Kina eſt, plus mille hominum à febribus quibuſvis intermittentibus reſtituiſſe. *Nicolaus Heinſius* Archiater dum viveret Saxo-Coburgenſis Culenburgii habitans in *Armamentario ſanitatis* multum jactitat *Arcanum antifebrile* quo innumeros etiam in Hollandia à febribus varii generis intermittentibus liberaverit.

verit. Diſſimulat equidem imò profitetur in Animadverſione adjecta chinam-chinam non eſſe ejus baſin, ſed Coburgo ex Saxonia redux, & me Vredenæ amicitæ cauſâ viſitans ob aliquot annorum inter nos habitum commercium literarium, amicè & quaſi loco doni ejus compoſitionem benevolè mihi detexit, quam teſtari poſſum eſſe ſatis elegantem, & corticem peruvianum ejus baſin. Methodus illius non erat contemnenda, in febribus contumacibus chronicis per 14 dies, in aliis non ita diu protractis per tres quatuorve, corpus per certos pulveres præparantes ad uſum febrifugi diſponebat, rejecto tamen quocumque cathartico, quod in omni febri noxium magis quàm proficuum judicabat. Eſt igitur finalis hæc mea epicriſis: nullum mundi clima eſt, nulla regio, in qua non utilis eſſe poſſit Quinquina debitè adminiſtrata, licet in uno quàm altero feliciores ejus ſint operationes. Pergo nunc ad dubia circa ſexum & ætates.

Doctiſſimus *Ramachtinus* opinatur ſexum muliebrem ex ſua natura minùs aptum eſſe ad beneficia ex uſu chinæ reportanda, eò quòd minus operoſus ſit, & larium domeſticorum magis amans. Verùm reſtrictus hic in ſexu Germaniæ fæmineo locum non habet. In hac mulieres italarum more non ſunt cochleæ, ſeu domiportæ. Quæ gregariæ ſunt, negotiis & laboribus domeſticis occupatæ ſufficienter corpus movent, quæ autem conditionis ſunt ſplendidioris, ad excurſiones, exſpaciationes, deambulationes, vecturas, facilè promoventur exhibito cortice, quamvis ob complica-

tum

rum debiti lunaris, quod ſub febribus plerumque retinetur, negotium non rarò cura in illis ſit difficilior. Sanctè teſtari poſſum, me & diverſas gravidas ultimis geſtationis menſibus imò vel unâ alterâve tantùm ante partum ſeptimanâ mediante cortice, ad fætûs confortationem unà modificato, à variis febribus (ob metum ne vires partui neceſſariæ paroxiſmorum frequentiâ violentiâque exhaurirentur) promptè liberâſſe, imò & paucorum dierum puerperas, vel intermittentibus vel continuis, periodicis periculoſè & cum gravibus ſymptomatis laborantes reſpectu interim ad lochia exactiſſimè habito: hæc namque proluvies ritè evaucata alias ſecretiones neceſſarias facilè ſupplet, in Monialibus, quæ vitam plerumque amant ſedentariam & frequenter cum ſymptomatis hypochondriaco-hyſtericis conflictantur, ut & aliis, quæ nimiùm ſubjacent animi pathematis, non ita expedita eſt curatio. Sanari tamen, modò præceptis medicis morigeræ ſint, omnes poſſunt.

Iterum *Ramazzinus* ab ædibus nobilium aliorumque potentium virorum in otio urbano vel rureſtri cum victûs lautitia degentium Chinam-Chinam proſcribi utile judicat; licet enim, ubi interdum ex febri intermittente decumbunt, caſſiæ modico purgentur, aut vena ſecetur, attamen non facilè diſponi poſſe, ut ſatis tutò iis hoc febrifugum præſcribi poſſit, ut ab aliis malis poſtea non plectantur.

Replico, poſtremum hoc non penitus à veritate eſſe alienum, ſi cortex ſolitarius & vulgari

methodo in tanta quantitate; iis devorandus exhibeatur. Innumeri tamen viri juveneſque nobiles rationali ejuſdem uſu per me curati de efficacia & ſecuritate ſatis teſtabuntur. Non omnes Nobiles in otio urbano aut rureſtri degunt, ſed equitationibus, vectationibus, & venationibus ſummè delectantur. Et plerumque ab iis ſanæ rationis ductum ſequentibus & ſanitatis vitæque maximè cupidis promptiorem obedientiam, & exquiſitiorem diætam, quàm à gente populari & ruſtica extorſeris. Habui inter illos, qui piaculum judicaverint vel latum unguem à præſcriptis regulis abire.

Ratione ætatis dubium oritur, an infantibus & pueris corticis uſus conveniat. Contendit *Ramazzinus* ætatem hujuſmodi ob errata in victu, & minorem per corporis ambitum humorum difflationem ab hoc remedio, quod nihil è corpore educit, potius concentrat, nil opis obtinere.

Verùm obſervaverit id ille ſub aëre Italico, aſſeverare ego poſſum ſub Weſtphalico pueris trium, quatuor, pluriumve annorum eundem meà methodo cum totali febris fuga, & non rarò cum multorum lumbricorum expulſione efficaciter & tutò exhibitum fuiſſe, ſed pariter ad fugam noxiorum aſtringendi ſunt, qui etiam paulò adultiores, ob luſus, curſus & ſic continuos corporis motus ſufficienter tranſpirant. Doctiſſimus *Jones*, ſcribit hecticis puerorum febribus in primis occurrere; has enim provenire à cruditatibus, quas cortex abſumat & extirpet. *Nicolaus*

Blegni

Blegni ſub cœlo gallico pueris corticem neceſſitate exigente non obeſſe emphaticè monuit.

Sed quid de ſenibus ſtatuendum ? audiamus loquentem Cl *Bonetum Anat. Pr. l.* 4. *ſect.* 1. *obſ.* 26. *Corticis peruviani dextro uſu febrium curſus omnino ſæpe intercipitur & ſine recidiva: non quartanarum ſolum, quibus deſtinatus cenſetur, ſed & omnium intermittentum, imò ad apyrexiam non omnino devenientium, nec juvenum ſolùm ſed & ſenum quin imò decrepitorum.* Addit exemplum viri octogenario majoris, qui quater intra biennium febri tertiana defunctus in quartanam incidit, cujus uno alterove paroxiſmo adeo attritæ fuerunt vires, ut tertio ferendo omnium judicio impar eſſet, facies enim jam Hippocratica cum ſtertore & mortis imminentis omnibus indiciis. Poſtquam cardiacorum ope eſſet reſuſcitatus, in primo paroxiſmi præludio corticis drachmam unam & ſemis Theriacâ remixtam cum vino haurire juſſit. Illico quaſi incantamento paroxiſmus, qui præforibus erat, retroceſſit, & paucis poſt diebus ſumpto levi purgante à febri omnino liber evaſit. Aſſeverare & ego poſſum, me plures ſenes jam alterum pedem in cymba charontis quaſi habentes, & de vitæ ulteriori protelatione deſperantes febri per corticem ſublatâ ad ejus longioris uſuram revocaſſe.

Ratione habitûs corporis elegans monitum eſt Exc. *Frid. Hoffmanni med. Conſult. Tom.* 2. *Dec.* 4. *caſu* 6. Si homines ad hæmorrhoides proclives, & qui ſpongioſi ſunt habitûs corpo-

po-

poris, & quorum vaſa plethorâ impurâ ſcatent, in febres intermittentes incidant, admodum cautè medicamentis ſpecificis motus febriles cohibentibus, inter quæ cortex præcipuus, utendum & lentè admodum ad illa procedendum eſſe, eò quod facilè ſtatus cachecticus imò hydropicus inducatur, qui ſi ſequatur, non innocenti cortici, ſed medici exhibentis ignorantiæ erit imputandus, quo pacto enim inquit Cl. *Mortonus Exerc.* 1. *c.* 7. *p. m.* 76. pharmacum amarum, quod menſes ciet, obſtructiones aperit, ventriculum atque genus nervoſum univerſum confortat, cachexiæ vel tabis, multò magis mortis repentinæ & inopinatæ fundamenta jaceat, difficillinum eſt conceptu.

Epidemicæ annorum conſtitutiones peculiares ſingularem obſervationem merentur. Dantur namque in quibus medicamenta chinata in febribus intermittentibus præſentanei ſunt effectûs, ut de Conſtitutione Epidemica Auguſtana anni 1701 teſtatur Cl. *Lucas Schröckius*, & de conſtitutione anni 1709 Cl. *Marcus Gerbezius.* Dantur quoque, in quibus minùs efficacis & conſtantis virtutis deprehendatur, ut perhibet *Ramazzinus* de conſtitutione epidemica anni 1691, in qua corticis peruviani uſum non admodum ſalubrem fuiſſe, ſed in extremum vitæ diſcrimen ægros non rarò deduxiſſe annotavit. Accuratâ autem obſervatione in plurium annorum epidemica conſtitutione didicit, in frigidis & humidis conſtitutionibus, quæ corpora mox craſſis humoribus infarciunt, parum ſalutarem eſſe,

in

in calidis verò & ſiccis conſtitutionibus, in quibus humores aliquo egent ſufflamine, remedium iſtud egregiam operam præſtitiſſe. Quamvis è contrario majorem veritatis ſpeciem faciat primarum in cortice qualitatum conſideratio, nam cum is calidus & ſiccus ſit, virtutiſque aperientis & attenuantis, quis dubitet magis frigidis & humidis quàm calidis & ſiccis conſtitutionibus ſervire. Quod pace tanti viri ſentio.

Demum obſervatione dignum eſt ad promovendum corticis effectum, aërem ruſticanum fædis exhalationibus liberum plurimum conferre, unde febribus quartanis chronicis conflictatos ex urbibus, in quibus athmoſphœra ex mephyti, fumis, fætoribus, cloacis gravior impuriorque, ad rus ſi fieri poteſt, concedere ſuadeo, feliciori namque eventu China agreſtibus & oppidanis, quàm magnarum urbium incolis exhibetur. Non dubito, ſi poſterioribus hiſce annis tot febrium genere fœcundis ex urbe Monaſterienſi ob Alphæ ſquallorem aëre minùs puro gaudente febricitantes in agros opportunè à medicis miſſi fuiſſent, promptiùs conſtantiorem ſanitatem mediante aëris campeſtris puriſſimo nitro & elatere conſecutos fuiſſe. Id quod propriâ comperi experientiâ, quâ magno corticis pondere febricitantes in urbe fruſtra ſuffarctos, extra illam unâ alterâve tantùm unciâ debitè modificatâ conſtanter ſine recidiva à febri quartana liberavi.

Finio hoc caput verbis celeberrimi *Mortoni Exerc. 1. C. 6. illud* ἱερὸν πικρὸν *cortex ſc. peruvianus (cui nihil præter nomen gratum deëſt,*

deeſt, ut opinione vulgi commendetur) conſenſu medicorum ferè omnium expertiſſimorum Febrifugum catholicon eſſe comprobatur, quod omnes febres intermittentes & alias plurimas in quavis anni tempeſtate, in omni ſexu, ætate, & temperamento radicitus & penitus citò, tutò, & feliciter ſanat. Ego ſanè, qui jam ad viginti annos & quod excurrit, hoc polychreſtum remedium quotidie præſcripſi, vix aliquid incommodi ægrotantibus ortum inde obſervavi, quicquid clamoſè atque falſò oggerant malè feriati quidam atque ignorantes. Quod viri longè expertiſſimi teſtimonium omni exceptione majus Neotericorum febrem pro ſalubri naturæ motu non ſuppimendo habentium apertis calumniis (quamvis ipſimet neceſſitate cogente ſub querelis & impatientia ægrotantium clam cortice uti non deſinant) opponere non reformido.

CAPUT V.

Expurgatio corporis ante corticis exhibitionem non in omni febri utilis ac neceſſaria.

Qui à vitioſa humorum colluvie in ſanguine aut viſceribus ſtagnante quarumcunque febrium cauſas deducunt, nil magis cordi habent, quàm ut iſti everrendæ Catharticum corticis uſui præmittant. Quæ methodus

dus quàm à ratione aliena ſit, breviter examinabimus.

Si juxta *Sophronum Kozack* alioſque naturæ myſtas fermentum febrile vix ad drachmam aſcendit, imò aliquando vix unius grani pondo habet, nam & gutta unica acidi ſanguini inſtillata juxta *Tacchenium* febrim accendere poteſt, imò ſi juxta Cl. *Ettmüllerum* vel à ſolo fermentali odore *Archeum* turbante, non rarò dependent febres intermittentes, imò quod magis, ſi à ſola imaginatione, â ſolo animi pathemate oriantur, cui uſui iſtis in caſibus Catharticum, & ſæpe toties repetitum à purgatoribus medicis, tantam in intermittentibus materiæ peccantis ſentinam tot everriculis indigam ſibi imaginantibus? Non rarò maximè ſanguineos nec opinantes quidem febris corripit, ut qui functiones integras pridie habebat, poſtridie graviter à febri vexetur. Unde in his confeſtim tam alta humorum ſaburra catharſi exhaurienda? unde tam feſtinè impuratus ſanguis, ut depurationem exigat?

Profectò ſi tam ſordida corruptorum ſuccorum congeries in intermittentibus præſto foret, non ceſſaret *Archeus* per unius pluriumve dierum intervallum à ſemel concepta excandeſcentia, neque per vices, ſed ut in continuis, perpetuo furore exæſtuarét. Relictus ille poſt paroxiſmum fomes tam exiguus eſt, ut non ſit potens *Archeum* laceſſere, adeoque neque catharſin indicat, neque ulli unquam purgatione exterminari poteſt. Nam & hanc decies repetitam ne unico quidem ſuſpendendo tollendove paroxiſmo parem eſſe quotidiana docet ex-

perientia. Vel ſexcentis exhibitis Catapotiis quartana perſeverat, non tantùm antiquâ contumaciâ, ſed & malitioſior evadit. Imò ſanguinis mixtione & circulo priùs per purgantia turbatis ſegnior corticis ſucceſſus deprehenditur. Novi medicos, qui prioribus annis febricitantes ſibi commiſſos catharſi ſat ſedulò & ſtrenue luſtrare & exinanire non intermiſerunt, ſed tantùm abfuit, ut febri eos liberaverint, ut exhauſtis viribus vel in tumulum vel graviora ſymptomata imprudenter ac temerè præcipitârint. Interim apud vulgus hoc ſaltem accepêre prædicati, quod his annis infelices fuerint in febribus curandis, quaſi verò fato aut fortunæ in acceptis ferenda ſit febrium curatio, cujus fruſtratio illorum ignorantiæ debebatur. Nempe febrium illarum populariter graſſantium, quas ſtatim novum morbum appellat plebecula, cauſa non tam in noxia ſuccorum peccantium copia, ſed ex Anomalia aëris contracto fluidorum circulantium languore, & dejecto ſolidorum tono erat quærenda, quem utrumque ſtatum purgantia incautè exhibita adhuc magis dejiciebant, & miſeros iſtorum medicorum clientes in claſſem incurabilium, (nam hic ignorantium plerumque prætextus eſt) infelici ſorte pertrahebant. Sive enim ſanguinis motum ſpectes, quomodo is in febribus à regulari circuitu deſciſcens, ab æquabilitate deflectens, à directionibus abreptus, ſtagnans, lenteſcens à purgante in ordinem redigetur? ſive ejus ſyſtaſin aut principiorum turbationem aut ſolutionem vitiatam concipias, certè in hoc ſtatu exhibere purgans,
ægrum

ægrum jugulare eſt, ſive viſcidorum, acidorum, bilioſorum humorum fœculentiam in vaſis ſanguineis antiquatæ hypotheſeos projudicio adhuc occupatus ſupponas, purgationis ante corticem exhibitum nullus eſt uſus, nulla utilitas, ut ſtolidorum non minùs quàm prudentum magiſtra docet experientia. Cui ut increduli fidem magis habeant, cogor unius alteriuſve Practici, cujus in foro medico authoritas magna omne poteſt ſolvere dubium, hic in medium adducere. Eleganter igitur Cl. *Ettmüllerus*, *Experientia* inquit *confirmat, poſt repetitas etiam purgationes eodem tenore pergere, interdum graviùs affligere intermittentes, continuæ verò magis exaſperantur iisdem, id quod manifeſtè oſtendit, non attingere purgantia radicem morboſam, ſed medicos & ægros deludere.* Audite acutiſſimum *Sydenhamium* ita ſeriò monentem: *Neque Catharſi neque V. S. ſubducenda eſt materiæ febrili pars aliqua, quo liberiùs cortex ſuo fungatur munere, cum enim ab utroque labefactetur quadantenus Oeconomia corporis, eò certius promptiuſque recrudeſcent paroxiſmi, evaneſcente ſemel pulveris vi.* Ef- (Exerc. 1. c. 8. p. m. 100.) fatum *Mortoni* pariter angli breve ſed nervoſum eſt. *Purgatio neceſſaria ante corticis uſum æſtimari non debet, quæ poſtea damnoſa & periculoſa eſſe conſpicitur.* De periculo ſæpe in febribus purgans ſequente dubitas? lege Cl. *Pechlini Obſervationem XXX. Ephemer. Germ. cur. Decad.* 1. *anni IX & X.* quâ teſtatur duos in eodem oppido febricitantes ſumpto neſcio quo Draſtico paucas intra horas quaſi præſentaneo veneno intoxicatos miſerè interiiſſe,

 unde

unde ſubdit: *Diſcant velim iſti ſeverioris medicinæ Advocati, etſi vehementium impetu feliciter ſæpe febres abigantur, in plurimis tamen etiam fraudi eſſe, molliculamque & lentam curationem duræ atque præcipiti anteponendam.*

Animadverto quid huic ſitis oppoſituri, culpam iſtam in remedii ab ignaro Empirico exhibiti virulentiam eſſe referendam. Medicos expertos haudquaquam tali fato eſſe expoſitos. Sed credite Excell. *Verloſſchnig* Medici in hujus argumenti ex profeſſo pertractatione experientiſſimi teſtimonio. Hic tractatu *de Cur. vern. autumnalis abuſu C.* 10. ſcribit febres tertianas, quæ aliàs omnium ſunt ſecuriſſimæ, purgantibus exhibitis ita vires dejeciſſe, ut nullâ ſequenti morbi imminutione intra 15 dies à cœpto morbo ægroti ſuccubuerint. Nempe deleteriæ aut ſaltem cauſticæ Cathartici particulæ cum fermento febrili combinatæ compoſitum efformare poſſunt, quod inſtar veneni irritatione, corruptione, inflammatione viſcerum, grangræna hominem è medio tollat.

Sed quid alienas induco experientias? ipſemet ultra aliquot mille febricitantes cortice ſanavi, nullo nec ante nec poſt ejus exhibitionem dato remedio purgante propriè dicto, quod ſatis redarguit ejus prætenſam neceſſitatem. Spectavi methodo vulgari ab aliis præmiſſis purgantibus mox corticem ſubjunctum præpedire non potuiſſe, quin febris inſultus ſæpius redierint, & tandem penitus non deſierint. Quid ergo inutilibus & ſæpe noxiis inhæreamus? ſemper mihi cordi fuit altaque mente

re-

repoſta Helmontii ſententia. *Remedium ſudorificum quod incidit, extenuit, reſolvit, liquat, abradit & ſimul abſtergit cauſam occaſionalem & quidem inſenſibiliter, verum eſt febrifugum quod velut falce omnium febrium radices amputat.* Tale ſi addideris cortici, genuinum habebis febrium omnium rhizotomon. Purgantia autem non eliminant cauſas occaſionales febrium, ſed tantùm vires exhauriùnt, & eas duplicant, magiſque reddunt contumaces, ut fuſiùs probavit Toparcha Merodenſis, ad quem brevitatis cauſa remitto.

Verùm enim verò diffitendum non eſt dari febres, quas alii gaſtricas, alii meſentericas appellant, imprimis ex genere quotidianarum, in quibus magna ſæpe cruditatum in primis viis congeries & pituoſæ ſordes in ventriculo ſtabulantur, qui corticis particulas oblinire & quaſi viſco implicare ejuſque vires obtundere & impedire poſſunt. Obſervavit Cl. *Jones* quandoque graviſſimos & inſuperabiles in Ventriculo ſic efformatas maſſas eſſe, qui eundem opprimentes febricitantibus vitam eripuerint. Hoc quomodo tollendum ſit obſtaculum nunc oſtendam.

In expellendis hiſce ſordibus, quibus corticis virtus ſuffocari poteſt, nil promptioris tutioriſque effectûs deprehenditur (cœteris tamen paribus) quàm lene & inſons emeticum, quo ſolo febres intermittentes non raró extirpantur, tale ſufficienter colluviem, ſi quæ adſit, vitioſam, bilioſam, viſcidam, acido acrem è prima regione corporis evacuat, & ventriculum pro feliciori corticis operatione præparat.

Quale certè omnibus catharticis eſt præferendum. Hæc enim ſanguinem ſubeunt, afficiunt, turbant, colliquant, corrumpunt: illud ſolas vaſorum ſuperficies ſtimulat, ut vellicata quotquot in ſtomachum hiant excretoriorum oſcilla humores verſus ſtomachum deturbatos per aperta emiſſaria eructent. Non hæc methodus febrium curam ab Emetico incipiendi nova eſt, ſed jam ſuo ævo *Avicenna* vomitum *radicem curæ febrium* appellavit, quo nil utilius eſſe quoque aſſeverat *Primiroſius*, in febribus quidem tertianis, quæ à bile foveri creduntur, plurima pars Medicorum illud non improbat, in quartana verò penitus repudiandum vult *Williſius* hoc quaſi edicto: *Eſt obſervatione dignum, quod vomitoria in febri quartana nihil proſunt.* Cui & meam & plurium virorum praxi celebrium experientiam oppono Unicus ut ſexcentos prætercam hic audiatur famoſiſſimus *Langius in Pathol. animata c.* 68 §. 2. *Benedictus autem cum primis & nobis in praxi noſtra toties cum feliciſſimo ſucceſſu hoc quoque loco laudatorum emeticorum probatiſſimus eſt uſus, ita ut aſſerere non dubitemus in hiſce emeticis per aliquot vices, pro ut neceſſitas poſtulaverit, decenter iteratis unicum fermè & indubitatum veriſſimumque citò ac tutò curandæ quartanæ conſiſtere arcanum.* Confer ea quæ apud authorem in textu fuſius deducta ſequuntur. *Foreſtus*, Practicus expertiſſimus, cujus obſervationes ſedulò legendas monet *Baglivus*, multos quartanarios unico vomitorio, convaluiſſe teſtatur. Stimulatis namque nerveis ſtomachi fibrillis viſcidam ac

glu-

glutinoſam ſaburram corticis ſalutari effectui impedimento futuram evacuat, & concuſſione viſcerum inductâ materias ibi ſtagnantes impactaſque movet & ſæpe excutit, & quidem minori longè & infrequentiori periculo quàm in purgantibus, ſic ut plures, celeberrimi *Hecqueti* verba ſunt, licet hypercatharſi extinctos videris, ne unum ex mille vel enormi vomitione jam jam exanimandis vomendo periiſſe obſervatum ſit.

Concludo itaque cum *Sydenhamio* & *Ettmullero*. Qui apti ſunt ad vomendum, nec in quibus aliquid obſtat, item quibus vel hypochondria ſuſpenſa, aut rugitus in iiſdem eſt, aut qui nauſeâ vel ructibus tetris amaricantibus, cephalalgiâ, vel aliquâ vertigine vexantur, in febrium principio optimè, imò neceſſario vomitu evacuantur. Caſus autem dari poſſunt & individua, quæ emeſin non admittant, in quibus ante uſum corticis ſordes primarum viarum per ſalia, potiſſimùm abſterſiva & laxantia aut lenia Eccoprotica poſſunt exturbari, ſicque febres ſat citò tutoque curari citra omnem recidivam, ut innumera curatorum exempla teſtantur.

CAPUT. VI.

Qua methodo & quo tempore Cortex Peruvianus in febribus intermittentibus exhibendus.

Occaſionem ſeu opportunitatem agendi eſſe curationis animam, & medicamenta utut efficacia innoxiaque indebito tempore exhibita vel proſpero effectu deſtitui, vel noxâ non carere experientiâ comperimus, id quod etiam exactæ obſervationes in promiſcuo corticis peruviani uſu docuerunt. Indoctis quidem Empiricis, nec non medicorum novitiorum nonnullis praxin medicam primoribus labris delibantibus perinde eſt, quo tempore, & num ante in-vel poſt paroxiſmum aſſumatur, quàm infelici tamen ſæpius eventu, lugubres caſus teſtantur; ita ut non poſtremum febres per corticem tutò curandi arcanum in juſto exhibitionis tempore conſiſtere videatur.

Invenias innumeros adhuc antiquâ oberrare chordâ, & corticis pulverem immediatè ante paroxiſmum cum vino, vel conſervæ cuidam mixtum in forma boli exhibere, quæ methodus ita periculoſa eſt, ut *Sydenhamius* obſervaverit ita quoſdam è vita ſublatos eſſe. Ratio non obſcura eſt. Quando jam in procinctu vel ipſo actu eſt materia peccans, fermentum febrile ſive cauſa occaſionalis (nomina ut lubet) tempore apyrexiæ congeſta, eaque

que mole & agendi vi armata, ut impoſſibile ſit *Archeo*, ejus incurſum avertere, imò ut penitus ſit noxium eandem ceu hoſtem infeſtiſſimum non omnibus viribus adoriri & ſubjugare, irritum imò periculoſum eſt, cortice ceu blandimento aliquo demulcere & lenire vel excandeſcentem *Archeum*, ut armis depoſitis cum hoſte jam inquilino armiſtitium aut pacem ineat. Cùm paroxiſmus ſit deſtinatum illud pugnæ tempus, quo materia febrilis in paroxiſmi interſtitio quaſi accitis copiis aucta, & in maſſam ſanguinis veluti campum martium ingreſſa, ſtrenuâ luctâ ab Archeo triumphatore ſubigi, elidi & per ſudorem, urinam atque inſenſibilem tranſpirationem expelli debet. Chinâ-chinâ immediatè ante vel etiam in paroxiſmo exhibito *Archeum* à furore præpedire, eſt eum ſpoliare armis, ut inimico ſubjacere cogatur. Unde nonnullos conflictu inter febrem & remedium excitato in paroxiſmis interiiſſe teſtis eſt *Jacobus Sponius*. Quocirca ſeriò monet *Sydenhamius*, ne ſubito atque intempeſtivo nimis ſufflamine paroxiſmum invaleſcentem atque omni ope exerentem conemur opprimere.

Quiſquis exactus rerum phyſicarum trutinator eſt, facilè comprehendet corticis immediatè ante vel ſub paroxiſmo exhibitionem in quacunque hypotheſi eſſe inutilem. Sive enim, qui rarefactioni ſanguinis in febribus faves, à cortice aſtrictionem & condenſationem exſpectas, ſive qui ejus lentorem & craſſitiem agnoſcis, ab eo attenuationem & flui-

fluidificationem prætendis, patet neceſſum eſ-
ſe, ut corticis in ventriculo præcedat tritu-
ra, comminutio, ſolutio & extractio, ut ſi
non particulæ materiales, ejus ſaltem vires
per ductus chyliferos ad ſanguinem tranſmit-
tantur. Cui quidem præparationi certum eſt
aliquot horas deberi, quarum proin inter-
vallum & primum paroxiſmum (ſi utile fo-
ret ſic exhibere) præcedere & ſubſequentes
doſes intercedere deberet.

Certum eſt ſub paroxiſmo, inprimis frigo-
ris, univerſum nervorum & vaſorum ſyſtema
ſpaſmo quaſi univerſali affici, jam ſi ſuppo-
nas, quæ plurium eſt ſententia, corticem non
niſi partium nervearum & fibroſam conſtric-
tione operationem perficere, nunquid liquet
ejus exhibitionem illo tempore eſſe nocentiſ-
ſimam.

Valeat igitur hæc methodus. Eligatur op-
timum juſtumque tempus, nempe illud, quod
immediatè paroxiſmum cum omnibus ſym-
ptomatis, calore, ſudore &c finitum excipit.
Archeus enim qui ſub furoris impetu corti-
aliàs ſibi amico vel haud auſcultat inſtar ho-
minis iracundi, cui ſæpe fruſtra ſub iræ æſtu
bona verba dederis, vel ut ſupra dixi, non
niſi cum magno periculo, jam gratiſſimum
hoſpitem amplectitur. Materiâ namque fe-
brili trìtâ & ſubactâ perque ſudorem aliaſ-
que vias eliminata ſicque glandularum milia-
rium obſtructionibus reſeratis, laxatiſque ſo-
lidorum criſpaturis, ſuccis craſſis lentiſque re-
dit fluiditas, & ſanguini tumultuanti mala-
cia, & per acceſſum corticis impeditur nova

ſucco

ſucci nutritii in materiam peccantem degeneratio, adoque novi paroxiſmi recurſus. Ratio dictat nullo tempore exhiberi utilius febrifugum, quàm illo, quo magis poteſt ſanguinis lentorem diſſolvere & attenuare, quod in febribus intermittentibus ſub apyrexia reſtituto fluidorum motu & ſolidorum conſueto tono, in continuis periodicis ſub notabili remiſſione promtiùs in effectum redigitur.

Prima itaque corticis doſis paroxiſmo plenè finito exhibenda, & brevibus horarum intervallis, priuſquam hujus virtus *Archeo* valedicat, altera repetenda eſt, & quidem ſi ſingulis quatuor horis in minori, ſi ſaltem ter in in die, in nonnihil majori, in continuis verò periodicis, ſi periculum in mora, in ſuprema doſi. Quam non ſolitariè, ſed illis, quæ corticis vires exaltant, ejuſque ſubſtantiam valde attenuant, obſtructiones ſolvunt, ſpaſmis contrariantur, remixtam ſoleo exhibere. Etſi enim ſolius chinæ beneficio ceſſent paroxiſmi, non tamen ideo mox evaneſcunt, ſi qui forte adſunt viſcerum infarctus, ſi quæ in glandulis lymphæ coagula, neque ſanguis omne febrile empyreuma ſtatim deponit, quocirca de obſtruentium & novo vigore effœtam quaſi ſanguinis maſſam invigorantium vel cortici admixtorum vel interpolatorum uſus nunquam non neceſſarius, cui integrum lunæ curſum nonnulli addicunt. Non enim probè officio ſuo ſe functum arbitretur medicus ſi more hodie conſueto innumeros bolos vel integra vaſcula chinata devoranda præſcripſerit, ſic enim & inter quamvis anum vel ſeplaſiæ uxorem agyr-

agyrtamque & Medicum nullum erit diſcrimen. Nam quis hodie barbitonſor, quis lixa caloque Kinkinnam non exhibet, poſtquam in tam noxiam empyriam abiit febrium curatio? unde nil mirum, ſi ex febribus ſimplicibus ſæpe duplices, ex intermittentibus continuæ, aliæque graves turbæ & anomaliæ ſequantur. Epidemice nuper graſſantibus in Batavia febribus non uni Pharmacopœo hæc praxis fuit, quod integras libras lebeti immiſſas vino vel aqua decoquerent, & inter febricitantes diſpenſarent, ex qua rudi & proletaria methodo quid aliud evenire potuit, quàm deplorandus ægrotantiùm ſtatus, ut malè curati in mortis ſimulacrum expalleſcerent, ſemper utentes & nunquam ad perfectam ſanitatem pervenientes.

Quò ad quantitatem corticis radicali febrium extirpationi neceſſariam admodum variant Practici celebriores. *Sydenhamius* ejus aliquot uncias requirit, & quidem per vices, interpoſito ſemper 14 dierum intervallo, aſſumendas. Sic enim recidivæ certiùs præcaventur. Quam quidem methodum plures remedii adverſi tædio affecti averſantur, unde ſæpius neceſſe eſt variis additamentis & involucris ejus colorem ſaporemque velare, ut honeſto dolo refractarii in ejus continuato uſu detineantur. Sunt qui ſe curationi tradentes expreſſis conditionem addant, ne chinata præſcribantur, hos deceptos neceſſe eſt convaleſcere. *An dolus an virtus quis in hoſte requirat?* & quis *in ſalutis humanæ aſſertore fideli Archiatro?* Sunt medici, qui ſe infenſos corticis hoſtes

tes publicè profitentur, & in aliorum febres eo curandi praxin malitioſè invehantur, interim ipſimet hoc velationis occultationiſque ſtratagemate utentes ſine ipſo nec febres curant, neque curare noverunt, neque quidem genuinam ejus adhibendi methodum didicerunt, ita *ignorantia malus eſt Theſaurus*, inquit Hippocrates.

Sydenhamianam methodum ſecutus videtur Exc. *Mangetus*, qui quartanis rebellioribus tres corticis uncias, pro tertianis autumnalibus, aut quæ poſt ſolſtitium æſtivum accedunt, unciam unam cum dimidia, pro tertianis vernis unciam unam ſufficere aſſerit. In febribus horrificis, quales ſunt hemitritoræ, dummodo cum inflammatione viſceris principis non fuerint complicatæ, imò in omni lentarum genere, quod cum exacerbationibus & remiſſionibus duriſque ſymptomatis divexat, eundem ceu tutum prorſus remedium exhibet, ſed doſin ut in quartanis ad uncias tres extendit, ter de die exhibendo, temporibus à paroxiſmo aut febris exacerbatione vacuis, longè à paſtu, unaquaque vice drachmam ad minimum integram. Cum verò integræ doſis cuique febri neceſſariæ dimidia circiter pars abſumpta eſt, à medicamenti reliquiis ad dies 8. 10 aut 12. jubet ſuperſedere, iiſque tantùm elapſis ad uſum redire, continuando tum ſine interruptione bis de die ad totalem abſumptionem, nec exſpectari vult unquam pro abſumenda ultima dimidia parte (quæ ad dies præſcriptos poſt primam abſumptam differtur) donec febris de novo caput exeruerit, ſic enim re-

renovanda veniret tota medicamenti doſis quaſi de eo nihil hactenus devoratum fuiſſet. Non convenit autem cum *Sydenhamio*, qui ut plurimum ſine ulla præliminari præparatione eundem febribus opponit, quem & ſequitur ejus concivis *Mortonus*, ſed ante exhibitionem & venæ ſectiones, & purgantia febricitantium viribus accommodata, quo primis bolis vel pilulis chinatis admiſcet, adminiſtrat.

Quam quidem methodum ceu laude dignam fas eſt junioribus medicis recommendare, ſi tamen venæ ſectiones & purgationes haudquaquam abſolutè neceſſarias exceperis. Notandum verò illis *Mangetum* non ſolitorio cortice uſum, ſed ſpiritu volatili correcto & ſaturato, mixtoque reſolventi atque antiſpaſmodico, ut fomitem febrium non in ſanguine tantùm ſed & præcipuè in genere nervoſo latitantem efficaciùs impugnaret. Nam niſi talibus additamentis modificetur, vix febres contumaces ſine reditu penitus diſcedent, licet enim *Talbotius* chinam-chinam tum in ſubſtantia tum in infuſo, quod ordinarium ipſi erat, ad libras integras per iteratas vices hauriendam daret, impedire tamen non potuit, quin poſt aliquod intervallum febris revireſceret.

Ramazzini methodus ab hac longè alia eſt. Corticis noxas ex incautiori fortè uſu obſervans, dum ad ætatem ſeniorem ſanioremque accederet, meticuloſior eum dumtaxat ad drachmam unam vel duas præſcripſit in febribus intermittentibus, quando nimis protractæ ægros fatigarent, in hunc præcipuè finem, ut aliquot dierum induciis impetratis æger re-

cre-

crearetur, & vires reſumeret, non ſine ſpe, imò cum certitudine febrem redituram, quæ unà cum natura roborata morbi cauſam expelleret, & mutata aëris temperies, quæ in morbis diuturnis magnam vim habet, febris hiſtoriam abſolveret. Quæ methodus tametſi in delicatioribus & corticem perhorreſcentibus locum habere poſſit, cùm tamen ad continuas recidivas ita paſſim infames & ſuſpectas ex propoſito quaſi diſponat, non eſſe genuinam pateſcit. *Williſio* tamen ipſa paroxiſmorem per hyemen ad temporis uſque vernalis principium ſuſpenſionem in more fuiſſe notum eſt in eius ſcriptis verſatis. Paroxiſmis ad aliqnot ſeptimanas deliteſcentibus æger vires recolligit, & cortex crebrius repetitus tandem evexiam inducit, & prava ſanguinis diatheſis à mutata tempeſtate corrigitur, modò habitualis paroxiſmorum conſuetudo interrumpatur circa vernale autem tempus tranſpiratio inſenſibilis à vividiori ætheris motu evadit liberior, & motus ſanguinis circularis promptior, ſicque febris facilius tollitur. Ita dari poſſunt caſus, ut præſtet quartanarum autumnalium & hybernarum hac methodo interdum ſuſpenſarum curationes in vernale tempus differre, quas eo tempore promptiores eſſe comprobat experientia. Sed hanc methodum iis, qui quartanas hyemales curare neſciunt, relinquimus.

Mirum quantum in exhibitione corticis ſcrupuloſus fuerit celeberrimus *Malpigius*, ut colligitur ex ejus *Conſiliorum centuria conſ.* 92. Præmittebat primùm in febri lenta cum tenſione abdominis aperientia & diuretica, &

poſtea Chinæ-chinæ proponebat ſcrupulum u-num ſingulo mane ſive alternis diebus per 15 dies ſumendum. Quæ provida ſolicitudo in e-juſmodi febribus lentis ab obſtructione glandu-larum meſenterii aliorumque viſcerum oriundis laudem meretur.

Ediſſeram nunc & graphicè proponam ho-diernam methodum illorum, qui febrem in ſe ſpectatam pro motu naturæ abſolutè utili ha-bent, & has ponunt indicationes: 1. ut motus febriles in juſto & moderato ſucceſſu conſer-ventur, id eſt, ut auguror, ut febris in ſtatu quo maneat. 2. ut cauſa febrilis legitimè præ-paretur (quæ & obſoleta erat Galenicorum me-thodus.) 3. ut evaucatio febrilis dextrè diriga-tur. 4. ut regimen congruum ordinetur. Hiſce autem omnibus non juvantibus, quod eſt fre-quentiſſimum, ſi evenit, ut motus & actus fe-brilis ultra ſuum terminum duret, adeoque in malam deſuetudinem & veluti habitum dege-neret (quod ſub illa methodo ut plurimùm ac-cidit) tum demum, quæ indicatio ultima eſt, famigeratum antifebrile china-china in uſum trahendum, ſed addito, ut certus ſit artifex, quod cauſa febrilis ſufficienter remota ſit. Non nomino famigeratum ævi noſtri Profeſſorem, qui ita ſcribillat. Sed amabo quæ methodus & quæ poſtulata! ſi enim cauſam febrilem an-te corticis uſum ſufficienter remotam exigit, quomodo febriles paroxiſmi ſuum morem ſer-vabunt, & quid tum opus cortice? ſignum profectò eſſet per illas præparationes & purga-tiones nihil eſſe effectum, vires dumtaxat tam illis quàm paroxiſmorum frequentiâ eſſe attri-

tas,

tas, fruſtra vexatum tot remediorum ſpecioſo apparatu ægrotantem, & ne lenta ſequatur febris, corticem tandem eſſe extremum aſylum. Nunquid ergo tutius eſt motum febrilem, qui ut oſtendimus violentus & coactus naturæ motus eſt, poſt duos treſve paroxiſmos ſtatim tollere, & ſic conſervare vires vitales, tum verò incidentibus, reſolventibus, deobſtruentibus, corrigentibus removere cauſas occaſionales, quod cum euphoria & gratiis fieri poſſe praxis ſolidior docet. Nam in febribus benignioribus hanc materiæ peccantis reſolutionem & expulſionem ſua ſponte ſæpiſſime exequitur *Archeus* à ſua excandeſcentia per corticem revocatus. Id eſt, ut aliis planiùs loquar, abactis paroxiſmis materia febrifica, ſi quæ ſit, ſolâ coctione id eſt promptiori ſanguinis motu & ſolidorum attritu (modo debitum diætæ regimen accedat) apta redditur, ut poros excretorios pervadere & eliminari queat. Nam & ipſe cortex ſanguinis viſcidiorem diatheſin emendat, particulas craſſas imminuit, novarum cruditatum in ventriculo generationem impedit, ut ejus uſu ſat diu continuato corpori evexia inducatur, omniſque facile recidiva avertatur.

Et quare tot prius paroxiſmos exſpectandos inculcant, antequam febrem per corticem volunt tollendam? Credunt ſingulis paroxiſmis conſumi aliquid de materia febrili, ut tandem ultra ceſſare debeat. Sed ſpe ut plurimùm excidunt, in paroxiſmis quidem febrilibus ſuccedente ritè ſudore diſſlatur, ut & per urinam expellitur vitioſa materia, quæ

 tamen

tamen non eſt ipſe fomes aut fermentum febrile, ſed lympha nutritia in ſanguine motu febrili corrupta, quam quidem eliminari utile & neceſſe eſt, licet ſic fomiti parum aut nihil detrahatur, quod pari tenore ac violentiâ inſequentes paroxiſmi teſtantur. Non itaque tutum eſt relinquere eouſque febrem in corpore humano, donec materia occaſionalis à tumultuante, indignante, excandeſcente Archeo vincatur & expellatur, nam ſæpiſſime in hac lucta ex nimis frequenter repetito cum hoſte inquilino duello laſſatus ac debilitatus fatiſcere & ſubjacere cogitur, ut triſtia docent exempla, & adhuc priori anno certi Medicinæ Doctoris podagrici cum quartana unà luctantis fatum, cujus hiſtoriam infra recenſebo. Expedit, ut hoc iteratò repetam, febrem id eſt Archei procellam ſedare, & poſtea cauſas occaſionales expugnare, quia ſæpiſſimè Archei ſublata thymoſi ens occaſionale ſive fomes febrilis totus ſponte conſumitur, etiam abſque omni evacuatione, ſi ſudorem atque diaphoreſin exceperis.

Unde mirari ſubit adhuc hodie dari præclaros Medicinæ Profeſſores, qui præpoſtero contra corticem concepto præjudicio antiquâ malunt delirare lyrâ, quam eum in quartana maturè in uſum vocare. Clamant ex cathedra altâ quantum poſſunt & dictatoriâ voce, in febri materiam peccantem ſucceſſivè, efficaciter tamen atque ſufficienter, præparandam, dein ſucceſſivè atque leniter evacuandam, ut conſuetæ evacuationes in juſtum ordinem promoveantur, tum affectas partes roborandas, ut cor-

orrupti motus atque ſucceſſus emendentur, denique regimen idoneum & congruam præſervationem ordinandam; & ſingulas has indicationes cum maximâ lenitate, patientiâ & conſtantia exercendas eſſe, quò ita natura ab hac ardua afflictione juſtis & ordinatis ſucceſſibus liberetur, neque magis obruatur & confundatur

ô Quam ſpecioſa verba? quæ tyroni inexperto elegantem indubitatò therapejæ aliquando faciendæ ideam excitant, ſic in cathedra & libris facilè curantur quartanarii, in lectis autem detinentur incurati, cujus Theoriæ infirmitatem eleganti illuſtrabo exemplo quod nobis exhibet Exc. *Ferdinandus Fridericus Illmer à Wartenberg* S. C. M. Conſiliarius & Archiater & Univerſitatis Viennenſis P. P. *Ephem. Germ. cur. Decad.* 2. *ann.* 3. *obſ.* 17.

Magnus hic vir iiſdem ſcholarum principiis imbutus virum 55. annorum complexionis melancholicæ quartanâ autumnali ob mœrores correptum methodicè tractabat, nempe expurgando per clyſteres, & potiones laxativas ſatis polychreſtas, ſanguinem ex mediana extrahendo, per juſcula alterantia & aperientia præparando, iterum per epicraſin electuariis & pilulis melanagogis expurgando, & demum obſtructionibus ſicut putabat, ſolutis & materiâ præparatâ exhibendo antifebrilia alcalina & alexipharmaca opiata, non neglectis antifebrilibus epicarpiis.

Sed quis effectus? æger jam duobus menſibus cum hoc Hercule conflictatus incipiebat deficere, debilitari, in hecticam declinare & ca-

chexiam. Quid conſilii? deſcendit ad uſum Chinæ-chinæ vir conſultiſſimus, cujus tantùm exhibitis per vices drachmis quatuor ſinè ulla recidivâ ægrotantem jam fere deſperatum perfectè ſanavit. Fatetur juxta indicationes Galenicas corpus & materiam morbificam diſponendo, maturando, evacuando, minorando, ſymptomatibus in paroxiſmo debitè occurrendo, & in fine paroxiſmi, ne ſuccederet hectica, per julapia refrigerando & temperando ſe effeciſſe nihilum, dum verò Chinam-chinam exhiberet & hâc ſolâ Recentiorum indicationibus ſatisfaceret (quæ ſunt ſiſtere fermentationem, corrigere particulas acidas, aperire obſtructiones, & reſtituere particulas ſulphureas) febrem chronicam & jam per duos menſes durantem radicitus extirpatam diſparuiſſe. Nam (hoc cortici addit elogium) ſuo ſulphure vegetabili anodyno ſiſtit fermentationem, eodem corrigit particulas acidas, eodem fit reſtitutio ſulphureorum deficientium, & amaro ſuo ſale aperit obſtructiones & pellit urinam. Ita vir prælaudatus. Innumera talium tentaminum methodicorum fruſtraneorum proſtant exempla, in quibus ultimum tandem azylum cortex peruvianus remediis quibuſcunque aliis gloriam præripuit.

Tandem hic ſilentio non eſt prætereunda nonnullorum praxis, qui primùm curationes febrium tentant præcipitantibus teſtaceis, quæ ſi voto non reſpondeant, vela vertunt ad peruvianum corticem quæ quam vitioſa ſit methodus, ex *Baglivo* velint addiſcant ejuſmodi Practicantes. Hic de *Morb. Succeſſ. c.* 13. *p. m.* 388. ſic inquit: *ſi poſt imprudenter adhibita teſtacea febri*

febri minime excedente chinam chinæ dederis, ut fataliter plurimi faciunt ventre adhuc humoribus onuſto, tria exſpectato, aut inflammationem, aut lentam ac diuturnam febrim aut mortem. Obſerva bene, & ſi falſa dixero, me redarguas.

Vidimus hiſce annis per præcipitantia & abſorbentia ſic dicta inprimis teſtacea & Oſtrocoderma calcinata (quæ omnia gravant ventriculum & minùs reſolubilia ſunt) febribus liberatos, diu langueſcentes palluiſſe, neque vires & appetitum priſtinum diu recuperare potuiſſe; è contra per corticem curatis mox rediiſſe colorem vividum, inſignem alacritatem, appetitum, ſomnum quietum actionumque omnium integritatem, quod præ iſtis corticis præcellentiam & in Archeo confortando ſive fluidis vappidis & inertibus vigorem ac robur, & ſolidis longo morbò relaxatis tono reſtituendo energiam abunde confirmat.

Ratio eſt, quod ejuſmodi præcipitantia fixa terreſtria cruſtæ muccoſæ ventriculi vel hujus plicis pertinaciùs inhærendo, & cum viſcido glutinoſo maſſas inſolubiles formando primæ coctionis officinam labefactent, ita ut *Schenkius* obſervârit illa circa nobiliores partes defixa circulationem ſanguinis ſtitiſſe, & mortem inopinatam intuliſſe. Aſſentientem mihi rurſus habeo Expertiſſimum *Baglivum* cujus verba l. c. huc tranſcribere non pigebit: *Ego certè vix capere poſſum, quomodo Medici indiſcriminatim ad omnes morbos pulveres teſtaceorum & alcalicos, ut vocant, abſorbentes præbeant, qui non aliud revera ſunt, quàm terra inutilis & caput mortuum mixtorum. Cùm certum ſit ſtomachum*

 noſtrum

noſtrum in ſtatu ſano vix digerere eos poſſe, quoniam difficulter in ſubſtantiam noſtri vertuntur, quantò minùs in morboſo, in quo vix juſcula tenuia digeruntur. Quare fieri debet ut quando meſenterium putri cacochylia nimiùm repletum eſt, ponderoſi nulliuſque activitatis ac motûs hi pulveres non ſolum cacochyliam non movebunt, nec corrigent, ſed cum eâdem ſeſe miſcentes magis magiſque concreſcere, indurari, hærere in glandulis eandem facient, & ſtatim ad febrim lentam, quam facillimè in becticam deſinere ſæpè vidi patientem diſponunt.

Ite nunc vos febricitantes & ſerio vobiſcum perpendite, num uſu teſtaceorum aut corticis ſtomachi trituram ac ſolutionem neutiquam reſpuentis à febrium torturâ liberari malitis.

C A P U T VII.

Nonnulla ſub corticis Peruviani uſu obſervari digna.

Perinde equidem videri poſſet, ſub qua forma cortex in ſubſtantia exhibeatur, refert tamen Cl. *Bonetus*, feliciùs febrim ſedari, ſi boli formâ detur, & dimidiam doſin veluti drachmam unam eâ ratione ſumptam eundem præſtare effectum, ac doſis integra ex vino ſumpto. Ratio putatur eſſe, quod ſic inter plicas ventriculi ſeu in ejus tunica villoſa hærendo diutius retineatur, adeoque conſtantio-

rem

rem edat effectum, quem potiſſimùm in hac prima digeſtionis officina exerere ſupponitur. Accedit quod ſic doſis pane hoſtiario involuta à nauſeabundis commodius deglutiri valeat. Verùm utilior, licet fortè non commodior, mihi hactenus viſa eſt ejus adminiſtratio in forma mixturæ, tum ratione peculiaris vehiculi apprimè febrifugi, tum additamentorum liquidorum, quæ boli formam reſpuunt, & in forma pulveris hunc redderent vel juſto majorem, adeoque corticis doſin neceſſario acciſam. Mixturæ autem hujuſmodi forma non niſi ad inſigne ejus virium augmentum intenta & directa eſt, quod millies experientia confirmavit. An autem è re ſit pulverem corticis tam diu intra ſtomachi villos hærere, meritò dubitari poſſet, cùm eum ſuccedente poſt paucas horas novâ doſi jam exiiſſe præſtet, ne à reſtitante pulveris jam fortè fatui mole ventriculus gravetur & probabile ſit eundem in duodeno quoque ceu altera digeſtionis officina mediante bile & ſucco pancreatico maximè neceſſariam ſubire diſſolutionem, ut in ſubtilitatis & volatilitatis debitum gradum deducatur, quò adi us illi ad interiora qualiſcunque ex quorundam ſuperiùs allata hypotheſi concedatur.

Quò ad vehiculum: Reſpuunt plures aqueum tanquam diſſolutioni aut extractioni corticis reſinoſi ineptum, & vinoſum exigunt. Quod quidem à vero penitus alienum non videtur. Amat namque in tali vehiculo ad ſe accedentes amicos hoſpites *Archeus*. Scuti hæc omnium prima fuit hunc in Europa exhibendi ratio. Verùm an ea cum vino illi ſit convenien-

tia dubitari poteſt, cùm in locis, in quibus vinum potus eſt ordinarius, in priori febrium epidemia exigua corticis obſervata fuerit energia, & pleriſque illo curatis pedum œdemata ſucceſſerint, ceu ad me perſcripſit medicus non inexpertus, ita ut iſtarum provinciarum poliatri ſolis ſalinis & amaricantibus inſiſtere, & his tardiùs aut etiam non juvantibus ægroti diuturnum febrium jugum portare coacti fuerint. Interim ego nunquam in intermittentibus è vino noxam, ſed magnam potius utilitatem expertus ſum. Inprimis ſi ſtomachicis amaricantibus fuerit medicatum. Hoc enim ventriculi digeſtionem adjuvat & chyli degenerationem præpedit in-vel à paſtu hauſtum, adeoque vinis dulcibus hiſpanico aut gallico in febribus præferendum.

Verùm trutinato Chinenſium more & potu, hunc cum cortice magis convenire ſemper judicavi, unde eo vel in forma pulveris vel, mixturæ aſſumpto plurima infuſi Theæ viridis vaſcula exhaurire jubeo, præcipuè quia & corticis vires auget, & ſoporoſorum in febribus accidentium noxas avertit, & fæmineo ſexus febricitanti in deliciis magis eſt quàm vinum. Adde quod vim habeat ſalia acria magis ſolventem & diluentem. Mihi aliquando & nonnullis aliis febri correptis nil commodius gratiuſque eſt viſum, quàm corticem cum juſculo avenaceo craſſiori calido, saporem ingratum admodum palliante haurire. Hordeata enim & avenata valde demulcent fluidorum acrimoniam & ſolidorum ſpaſmos leniunt, omnibuſque

que edulcorantibus alcalicis, concentrantibus, abſorbentibus utiliora deprehenduntur.

Aſſumpto qualicunque modo cortice corporis motum præcipio. Sicuti enim ſub paroxiſmi decurſu quieta in lecto continentia in omnibus febribus utilis & neceſſaria eſt, ſic extra illum maximè diebus apyrexiæ eodem aſſumpto motus corporis, quantum vires permittunt, ſive is ambulatione fiat, ſive leniori labore aut exercitio, omnino eſt neceſſarius, ita ut hoc omiſſo in pluribus vix ſalutaris aut conſtans exſpectandus ſit effectus. Probat namque experientia corticem genti ruſticanæ magis proficuum, & in certis caſibus per accidens minùs perniciosſum, quàm oppidanis & magnarum urbium incolis nempe quia vix paroxiſmis liberata illico ſe confert ad conſuetos labores. Sicuti & tradit doctiſſimus *Ettmüllerus* homines laboribus & exercitiis deditos in ſpecie agreſtes & mechanicos non tam facilè pati recidivas poſt aſſumptum febrifugum peruvianum, ſicuti deſidioſos & otio innutritos. In febribus contumacibus quartanis, præſertim ſi adſint viſcerum in hypochondriis diſtenſiones aut infarctus, aſſumpto cortice equitationem blandam omnibus exercitiis prætulero. Sexui fæmineo, ſi choreas modeſtiores ducere aut pila volante ludere velit, permitto. Modò ut ubique ſic & hic omnis abſit exceſſus. Miratus ſæpe ſum Medicorum tam paucos motum corporis ita neceſſarium ſub uſu corticis injungere, cùm tamen conſtans ſit obſervatio *Sydenhamii*, ſi lecto ſe in ejus uſu multum addicat ægrotus, rarò levamen ſperatum inde percipere.

Quò

Quò ad victum adſtipulor *Helmontio*, & à carnibus eorumque juſculis, lacte, ovis, piſcibus commendo abſtinentiam, hæc enim omnia in ventriculo febricitantium cadaverantur, ut phraſis audit Helmontiana. Porcinam verò ut & bovinam penitus inhibeo juxta vetus illud, etiam noſtris pueris grammaticis notum. *Qui tertianâ laborant, carne bubulâ non veſcuntur*, illorum loco ſufficio hordeata, avenata, oryzata, leves pulticulas, panatellas, quibus etiam incoctis juſcula, ſi illorum eſus deſideretur corrigi impero ob rationes ſupra allatas. Utinam autem aurea abſtinentiæ regula & parva cibatio febri laborantibus & integram mox apyrexiam & longiora bonæ valetudinis beneficia deſiderantibus cordi foret. Etenim non modò ante & in paroxiſmo à cibis abſtinere neceſſum eſt, niſi virium deliquia urgeant, ſed & expedit totâ acceſſionis die. Hoc enim jejunio ceu plurimam cauſæ occaſionalis partem detrahente plures à refractariis febribus eò faciliùs vendicatos eſſe recordor. Quicunque gravibus negotiis implicati aut ſtudiis addicti ſunt, caveant aut curarum ſtimulo aut lucubrationum onere corpus & mentem nimium tendere & fatigare. Animi remiſſio & à curis & pathematis laxatio feliciori corticis operationi plurimùm ancillatur.

CAPUT. VIII.

Purgatio poſt exhibitum corticem rarò neceſſaria, ſæpe inutilis, plerumque noxia.

Nulla unquam ſententia mihi viſa eſt magis ridicula quàm illorum, qui fugata per corticem febri prætendunt mox ſolenni purgatione eradicativâ expiandum eſſe corpus, nempe ut cortex alias nocivus rurſum è corpore educatur, & ſymptomata ab eo metuenda præcaveantur. Verùm catharſim mox ſuperveniens recidiva evincit neſcire illos genuinam corticis adminiſtrandi methodum. Omnia illius poſtulati membra ſunt abſurdiſſima, ut breviter demonſtrabimus

Qui purgationis neceſſitatem urgent, hunc agendi modum ſupponunt in cortice, quod in ſanguine materiam febrilem ad novam agendo fermentationem ſeparet atque præcipitet, unde hoc in ſanguinis maſſa velut caput mortuum innatet. Argumentantur itaque, ſi particulæ excrementitiæ ſic ſeparatæ & præcipitatæ cathartico confeſtim exhibito non excernantur, neceſſum eſſe ad alias partes deferri & deponi, & plura mala conſequi.

Verùm hæc omnia gratis dicuntur. Corticem ſanguinis maſſam fermentare & in eo peccantem materiam præcipitare nullâ hactenus experientiâ evictum eſt, cùm ſimile nihil me-

mechanica demonſtret. Sanguis in febribus lentore potiſſimum peccat, & aliquando acore, qui uterque correctus neutiquam caput mortuum conſtituit expellendum. Terminus præcipitationis, quatenus inverſionem acidi per alcalia dicit, ad ſanguinem purè eſt analogico-metaphoricus. Acida præcipitata, id eſt temperata, inverſa, correcta nocendi amittunt potentiam, unde panicus eſt metus de illorum noxia ad viſcera metaſtaſi. Materias autem ejuſmodi excrementitias ceu febrium ſuppoſitas cauſas per purgans non exturbari evincit certo certiùs ſubſequens recidiva.

Jam verò cortex in ſe totus innocuus & innocens eſt, cur ergo ſui expulſionem indicat? Quidquid noxæ inferre putatur, ex culpa medentis eſt. Pono dilemma: corticis particulæ vel intrant ſanguinem vel non intrant. Si non: vana illarum eſt tentata ex ſanguine expulſio. Si intrant, certè expedit illas multo tempore in eodem reſtitare, ut eò meliùs diſcraſia corrigatur, viſcidum incidatur, craſſumque attenuetur. Quo non priùs peracto, ſi rurſum è ſanguine eliminetur, vix ſuppreſſa febris reſurgit.

Si intrat cortex ſanguinem, & in eo fluctuet, quod ſtatuere nugatorium eſt, amabo quo purgante expelles? num etiam dari ſtatues *Chinagogum*, ſicuti antiquitas ſua de cholagogis & melanagogis fabula mundum tot ſeculis faſcinavit? oſtende ſis catharcticum, quod particulas corticis noxias, ſanguini immiſſas, & unà febriles præcipitatas educat, *& Phyllida ſolus habeto.*

Cor-

Corticem igitur materialiter & corporaliter credo non ſtatues per vaſa chylifera in ſinum ſanguinis deduci, ergo ſaltem ejus aliquam tincturam ſub ventriculi digeſtione per Menſtruum gaſtricum præſide *Archeo* vitali eductam. At quid illa purgante exterminandum retinuit? certè nihilum. An verò ipſam corticis ſubſtantiam in primis viis fortè reſiduam evacuari tanti momenti eſt? Hæc extra inteſtinalem fiſtulam non egrediens motu ejus periſtaltico cum coeteris excrementis ſenſim propulſa ſponte ſua foras evehitur, ut cacatoriæ ſententiæ patronos docere poteſt ocularis inſpectio. Qui chinam chinam exhibent, & mox purgant, idem faciunt ac illi, qui ſuem lotam ad novum deducunt volutabrum. Sagaciores ſunt, quod probè notandum, *Peruani*, qui aſſumpto ſuo cortice nunquam purgante utuntur.

Amabo quid eſt purgatio? reſpondet *Simon Pauli de febr. malign. p. m.* 89. *eſt artificioſa humorum turbatio & fermentatio.* Reſpondet *Waldsmidius Diſp.* 7. *Theſ.* 38. *Actus purgatorius eſt actus febrilis ipſâ febri quacumque deterior.* Dico ego, eſt materiæ occaſionalis inductus motus irritativus, & ad eam conſequens nova *Archei* indignatio. Unde non mirum, purgante poſt corticem exhibito reſuſcitari febriles paroxiſmos, quia nova fit ſanguinis turbatio, novus actus febrilis, nova *Archei* excandeſcentia. Catharticum hauſtum non aliter hominem exagitat, inquit *Felix Platerus Therap.* 86. ac ſi febricitaret, unde pulſûs celeritas advertitur, vomiſuntiones ſitiſque moleſta ſunt, & cardialgia eodem die corripit, quæ

inter alia ſigna propria veneni hauſti perhiberi ſolent. Poſt corticem draſtici Catharſiſtæ in medicina pueri ſunt, qui neſciunt, quid faciant.

En aliud Dilemma. Fugatio paroxiſmi febrilis mediante cortice vel noxia eſt & inutilis, vel non noxia & utilis. Si prius, corticis uſus penitus eſt ex praxi medica proſcribendus. Si poſterius: cur eundem promotâ catharſi revocas & novas in ſanguine turbas, novos in *Archeo* tumultus excitas! ne noceat ais, exhibitus cortex. Ergo ſic facilè fateris exhibitione corticis ſe ægrotantem majori periculo, quam ipſa febris eſt, expoſuiſſe, quod in arte haudquaquam eſt permiſſum. Aut igitur abſtinendum cortice aut purgante: illo ne noceas: hoc ne pariter obſis in priſtinam & ſæpe majorem febrim præcipitando. Qui naturam corticis novit, ſatis intelligit poſt ejus exhibitionem alvum purgantibus non movendum, imò ne quidem agitandum calidis ſudoriferis, neque primam digeſtionem diſpeptis interturbandam. Millenos favente cœlo ſanavi, & ne uni quidem purgans, licet multis quandoque inſtantiis ſub prætextu relicti corticis educendi ſollicitatum exhibui, & tamen is nullas poſt ſe noxas methodo mea exhibitus reliquit. Materiam peccantem per incidentia, reſolventia, abſtergentia debitè præparatam ſatis paulatim per vias convenientes educere novit per corticem corroboratus *Archeus*, quem per importunè injecta catharticorum obſtacula ab hoc negotio revocare eſt piaculum.

Dilemma tertium: propinatum pharmacum vel

vel ſolitarium expurgabit corticem, vel materiam dumtaxat peccantem, vel utrumque. Nihil horum verum eſt, ergo nullum indicans adeſt exhibendi cathartici, ergo inutile, ergo noxium. Probatur primum, quia in nullo hactenus noto purgante deprehenſa eſt virtus corticis peruviani è maſſa ſanguinis ſeparatoria & eductoria, ut jam ſupra dictum. Probatur ſecundum: mox enim ſubſequens recidiva manifeſtum facit cauſam febris occaſionalem tali purgante neutiquam evacuatam eſſe, hac enim eliminata nulli redirent paroxiſmi. Probatur tertium. Quia pharmacum quod impotens eſt debellare & expellere unum & alterum ſeparatim, multò magis tale erit ad expellendum ſimul utrumque. Vanus igitur & irritus eſt talis conatus. Evacuabit equidem aliquid purgans, ſed nihil, quod ad eſſentiam febris pertinet, nihil quod à ſubſtantia corticis fortè ad ſanguinem deciditur. Qui febricitanti exhibet catharticum, vires frangit, ventriculi concoctionem turbat, actiones corporis lædit, fluidorum motus pervertit & mixtiones ſolvit, ſolida reſolvit & irritat, ſuccum alibilem liquatione & ſæpe hypercatharſi educit. Quid hæc omnia ad curandam febrim? quæ non raro vel infelici multiplicatione augetur, aut à typo ordinario in varias anomalias periculoſè diſtorquetur.

Sed adeſt inquies in febribus cacochymia, hæc igitur expurganda. Audite juniores medici *Galenum* noſtrum, quem Mechaniſmo infatuati malè negligitis veluti ſcriptorem jam exoletum. Hic *Claſſ.* 2. *l.* 4. *de ſan. tuend.*

c 4. ita loquitur : *opus eſt his ita ſe habentibus, quando novimus totum corpus repletum eſſe Cacochymia, quantum jam accuratè pravum eſt Cacochymiæ coctionem non amplius admittentis, per ſudores & urinas evacuare, quod verò quaſi demicoctum & crudum eſt, amplius concoquere & utile reddere.* Si *Pergamenus* nec in conſummata nec in imperfecta cacochymia ſeu vitioſis ſuccis purgationi locum concedit, quis quaſo ejus erit uſus in febribus cacochymicorum? ſi mechaniſmo favetis, cur non ejus leges ſequimini? in febribus ſanguinem & fluida conſtrictis vaſorum extremitatibus ad inferiora magis moveri extra dubium ponitis. Et bene. Idem autem faciunt purgantia, dum à circumferentia ad centrum movent, & ſic actum febrilem excitant, nec rarò febres duplicant, earumque paroxiſmos exaſperant. Imitemini igitur *Archeum* ſeu naturam ducem, hæc finiendo paroxiſmos & febres ſæpius ſponte tollendo congeſta circa interiora viſcera fluida & remorantem ſanguinem æquabili circulo ad corporis peripheriam reducit, unde ſudor & diaphoreſis diureſiſque aucta, quæ tutiùs conſtantiuſque fomitem febrilem educunt, quam quævis cathartica, quæ & ipſe noſter *Hippocrates* in febribus prohibet l. de affect. c. 5. *Neutiquam*, inquit *oportet in validis febribus medicamenta purgantia exhibere.* Ergo nec in intermittentibus rectè infert & probat doctiſſimus *Bruno* Tr. *Remoræ ac impedimenta purg. Exerc.* 3. *de febribus per purgantia non curandis.* Ad quem brevitatis cauſâ remitto,

Hæc

Hæc hactenus allata ita perſpicua ſunt, ut qui iis tam manifeſtis fidem denegat, judice *Galeno* ſtupidus ſit habendus. Si verò vitioſorum humorum colluvie ſcateant inteſtina, aut aſſumpto cortice alvus nimiùm aſtringatur, & dolores colici aut cardialgici timeantur, vel enematis quæ laxent emolliantque inteſtinorum fibras, vel blandis eccoproticis, quæ tantùm primarum viarum ſordes abſtergant, & quorum in ſanguinem nullus eſt effectus, locus eſſe poterit. Stratagema medicum eſt, exigente neceſſitate cum ipſo cortice exhibere laxantia, ne novæ turbæ excitentur & revocentur paroxiſmi. Imò multoties & in pluribus experientia me docuit, iiſdem quoque mixtis & à principio exhibitis, ita ut indies una alterave vice aſellatio ſequatur, febres tutò & jucundè tolli poſſe, quo etiam pacto de corticis intra corpus reſtitatione omnis metus tollitur.

Aliter ſe res habet in febribus per præcipitantia teſtacea & terrea ſuppreſſis. Formata enim ex iis cum muco coagula, de quibus latiùs ſupra protinus convenienti catharſi eliminare præſtat, quam malis inde facilè ſequentibus exponere id quod in curatis per corticem omni abſente periculo locum non habet.

Purgantis loco febri fugatâ, inprimis ſi chronica fuerit, & appetitus adhuc dejectus, præſtat exhibere amaricantia, quæ maſſæ ſanguineæ craſin emendent, cachexiam ſub curſu febris enatam corrigant, & ventriculum corroborent. Eadem ſæpius ſub forma vini medicati, interdum delicatioribus Tincturæ aut

Elixirii præſcribere ſoleo. Inter illa *Eſſentia abſinthii compoſita Wedelii*, cujus quoque ingrediens eſt cortex, & *Elixir Balſamicum Hoffmanni quod Tr. de febribus* penitus ſub finem deſcribit, & pariter inter conſtitutiva habet corticem, præcipuam recommendationem merentur.

Tandem à febri liberatum ſemper oportet eſſe memorem illius diei, quo eum febris deſeruit, ut quaſi febris paroxiſmi typum eſſet ſervatura, ordinariâ diætâ & abſtinentiâ recidivam declinet, juxta illud *Celſi l. 3. c. 16. ſi febris quievit, diu meminiſſe ejus diei convenit, eoque vitare frigus, calorem, cruditatem, laſſitudinem facilè enim revertitur, niſi à ſano quoque aliquamdiu timetur.* Exemplum elegans hujus neglecti moniti legi poteſt apud *Bartholinum Act. Med. Haffmens. tom. 1. obſ.* 98. ubi aliquis per ſex hebdomadas jam à quartana liber horâ, quâ paroxiſmus recurrere conſueverat, lacte acidiuſculo ſeſe ingurgitans ipſo momento in quartanam recidit, diu in pertinacia ſua perſiſtentem.

C A-

CAPUT IX.

Symptomata febres præpoſtero Chinæ-chinæ uſu ſuppreſſas non rarò ſequentia quomodo tractanda & curanda.

Niſi veris Medicinæ rationalis candidatis & junioribus practicis qualicunque hac meâ opellâ inſervire intenderem, hoc capite ſuperſedere potuiſſem. Quando enim chinæ chinæ patronus hucuſque tam ſtrenuus extiti, videri fortaſſis poſſem hic vela vertere, quando ſymptomata febribus ejus uſu ſuppreſſis non rarò ſuccedentia commemoro. Unde mox in limine notandum hæc non cortici per ſe inſonti ſed ejus præpoſtero & irregulari uſui, adeoque medicaſtrorum inſcitiæ, populique promiſcuè & indiſcretè illum uſurpantis temeritati deberi. Non enim melior ſors eſt corticis, quàm aliorum remediorum generoſiorum, & vel ipſius vini, quæ abuſu ſuo graves non rarò poſt ſe noxas trahere comperiuntur.

Si quis igitur cortice ſolitario nec juxta exigentiam debitè modificato, nec corpore antecedenter ritè diſpoſito febres fugaverit, poſtea verò obſtructos viſcerum canales ſanguinis depurationi dicatos aperire, neceſſarias tam per urinam & ſedes quàm præcipuè per extimam corporis ſuperficiem evacuationes diluentibus &

& abſterſivis reſtituere, & ſucci bilioſi ac pancreatici, ſi fortè ſublatæ fuerint, ſecretiones redintegrare neglexerit, moleſta ſæpius ac periculoſa ſymptomata in ſcenam produci in confeſſo eſt. Exemplorum ferax fuit annus præcedens, quo fortè plures quàm inter quinque poſtrema luſtra, hydrops è medio ſuſtulit. Nil certis in locis communius fuit quàm pedum œdema, aut leucophlegmatia, aut etiam aſcites, febribus vel accedens, vel ſubſequens, præſertim in iis qui potus frigidos largiùs ingurgitârunt. Quarum cum ſuſpecta ſit indoles, mox in principio non differenda eſt curatio. De illorum fiendi & curandi modo diſcurrendi hìc locus non eſt, ſed indicabimus ſaltem unum alterumve Scriptorem, quem in arte medica novitii conſulere poſſunt, integram curandi methodum remedia & cautelas ſuggerit. Cl. *Marcus Gerbetius in intricato extricato medico pars.* 2. *c.* 1. *de hydrope cum febribus complicato.* Quomodo poſt quartanam ex pedibus tumefactis hydropem metuens ſit curandus, eleganter oſtendit. Cl. *Mangetus in notis ad Praxin Barbettianam p. m.* 134. *editionis Genev. in* 4. *anno* 1688. Neque contemnenda eſt methodus à celeberrimo *Georgio Franco Ephem. Germ. Cur. Dec.* 2. *ann.* 3. *Obſ.* 90. propoſita. Et ad pedes œdematoſos infuſum elegans Cl. *Königii* aperitivo-laxativum, quo ex febri intermittente hydropicum reſtituit, in *Regno Vegetabili* deſcriptum. Si febri hydrops accedat, ejus tantiſper cura ſeponenda eſt, & hujus acceleranda. Quamvis febris intermittens & hydrops non ſint contrarii affectus, ut non-
nulli

nulli credunt, cùm enim ſi complicentur, ab eadem cauſa nempe lentore & viſciditate ſanguinis & lymphæ oriantur, iiſdem remediis ſimultanée curari poterunt. Inprimis ſic affectis imperandi ſunt motus & labores, & exhibenda viſcerum ventriculi & hepatis ſic dicta confortantia, inter quæ præcipuum locum obtinent ſalia digeſtiva, pilulæ balſamicæ viſcerales polychreſtæ, infuſa vinoſa laxantia, ut & Martialia, ſine quorum aſſiduo uſu alia antihydropica vix ſcopum attingunt. Cortex ipſe optimè iiſdem miſcetur; modò ſint chalybeata elegantiora, ut crocus martis aperitivus *Stahlii*, & chalybs nitritus *Muſgravii Tr. de Arthrit. anomala c.* 1. deſcriptus. Et Magiſterium martis aperitivum *Mynſichtianum*, quo ſolo *Matthiam Tilingium* virum primarium à febri & pedum tumore liberâſſe memorat *Bonetus Med. Septentr. Coll. Vol.* 2. *p.* 193. Proſunt amara chalybeata, & decoctum corticis cum alcohol martis laudem meretur. Non ſemel obſervavi ritè curatâ per corticem febri œdema crurum ſponte & ſine omni alio remedio diſparuiſſe.

Interdum incongruè adminiſtrato cortice ſopita febris abdominis tormina, artuum dolores oſtocopos, alvi outuſionem, nocturnos ſudores aliaque ſymptomata habet pediſſequa. Quid tum conſilii? ſequendum eſt monitum celeberrimi *Ettmulleri Diſſ. de uſu & abuſu præcipitantium* & revocanda febris. Scribit id promptè exequi ſpiritum ſalis armoniaci volatilem uſurpatum. Quod ſi experientiæ reſpondeat, dubitari poſſet, an ſpiritus hiç ceu

antiquartius tantâ laude in febri quartana fugaanda à nonnullis fuerit mactandus. Cùm porrò moneat Cl. D. *Michael Alberti* univerſitatis Hallenſis Profeſſor P. & ſcriptor hodie famigeratiſſimus ſpiritum hunc requirere prudentem & expertum artificem, cùm obſervatum ſit in ſubjectis, quibus adeſt diſpoſitio ad tumores œdematoſos, afflictionem talem ſatis contumacem & ſuſpectam per ſalium volatilium uſum accelerari & promoveri. Notent hoc nonnulli inter Batavos medici, qui peſſimâ methodo ab uno alterove olim Hollandiæ famigerato Practico inductâ hoc ſpiritu & ſalibus volatilibus oleoſis, quibuſdam quaſi panacæis in omnium morborum, etiam febrium genere, abutuntur, ut illorum noxam alio opere latiùs oſtendi. Tutius eſt vino reſolventibus, diureticis abſtergentibus & laxantibus infuſo febrim reſtituere. Weſtphali remedium domeſticum habent, quod febrim revocat, & raró fallit. Si de capite porcino infumato comedant per chinam-chinam à febri liberati, certo certiùs recidivas patiuntur. Febris revocata præmiſſis præmittendis iterum per corticem verâ methodo adhibitum tractari, & ſine noxis confectariis fugari poteſt.

Contingit non raró, ut poſt uſum chinæ-chinæ ita crudè devoratæ alvus cum tenſione abdominis & tumore hypochondriorum conſtipetur, qui affectus verè ſpaſticus non tam ab hepatis ac lienis obſtructionibus, quàm atonia inteſtini coli, quod utrumque hypochondrium occupat, ejuſque à flatibus diſtenſione vel ſpaſtica conſtrictione dependet. Symptomata hæc

per

per digeſtiva, abſtergentia, tartariſata, pilulas viſcerales balſamicas blandè laxantes & potum ſufficientem curari debent. Confer Exc. *Hoſſmanni Medic. conſultator. tom.* 3. *Decad.* 4. *caſu* 5. quo integra curatio deſcribitur. Cortex ipſe ſic diſponi poteſt, ut ſub ejus uſu alvus maneat libera, inprimis ſi conveniens corporis motus accedat.

Si affligat febris cum diarrhæa, ſeu excretione ſeri vitioſi aut varii liquaminis bilioſi corrupti, cavendum ne ſuppreſſa per corticem febri hæc intempeſtrivè ſiſtatur, cùm enim plerumque critica ſit, coactam ejus ſuppreſſionem terrifica ſymptomata, affectus apoplectici, ſyncope & mors ſecuta ſunt referente Cl. *Boneto.*

Obſervavi hiſce annis non unum à quartana beneficio Quinquinæ liberatum, inſequente ingenti cutis pruritu, quandoque cum exanthematis rubris, interdum cum ſcabie humida perfectè & ſine omni recidiva convaluiſſe, quales obſervationes quoque jam olim *Greg Horſtius* l. 1. obſ. 12. & 13. producit. Huic ſymptomati ſeu potius criſi ſalutari nil remedii externi opponendum judicavi. Nam plerumque ſponte exacto vitæ regimine & paucis ſanguinem purificantibus intra aliquot ſeptimanas cum euphoria, & plenè reſtituta evexia ceſſavit.

A nonnullis per corticem non ritè adminiſtratum à febri liberatis obſervatæ ſunt in cruribus ac tibiis tenſiones ac quaſi contracturæ, aut ſaltem inconſuetus languor, ut expeditè incedere non potuerint. Quod ſymptoma adin-

ſtar ſcelotyrbis nervinis & antiſcorbuticis remediis in- & externis paulatim tollitur.

In intermittentibus chinâ chinâ vel ſolitariâ vel corpore non debitè prius præparato devoratâ ſublati febriles motus levi errato revocantur, quod iſto caſu neutiquam pro malo reputandum, modò non majori novorum ſymptomatum vehementiâ ſtipentur, indicatur enim à cauſa occaſionali interna adhuc non penitus ſubacta novas fieri archei irritationes, quocirca hi non iterum mox erunt ſiſtendi, ſed ita dirigendi, ut medicamenta deinceps opportunè adhibita fomitis reſtitantis plenariæ extractioni & evacuationi per loca convenientia ancillentur.

Aliquando tertianam vel quartanam vel etiam quintanam tabes ac phtiſis comitatur. Illam ex pulſu febrili & intermiſſionis periodis deprehendimus hanc ceſſante paroxiſmo ex marcore & conſumptione corporis aliisque hecticæ notis. Hic utriuſque febris habenda eſt ratio, & præcipuum in cortice quærendum aſylum, qui ſi ſubſidii nil afferat, conclamatum eſt. Quomodo in ejuſmodi febribus tabidis ac colliquativis præparandus & interpolandus ſit cortex junior medicus addiſcere poteſt ex conſilio & præſcriptionibus Exc. *Brunneri* Archiatri quondam Palatini L. B. de Löwen datis apud *Mich Bern. Valentini in Medic. Novantiqua Miſcellan. Cur. & fructif p. m.* 569.

Si verò in viſcere aliquo interno pulmonibus, hepate, renibus, meſenterio &c. adſit abceſſus, incaſſum plerumque exhibetur cortex, etſi enim paroxiſmum aliquando ſuſpendat, ulceris

tamen

tamen ichor ſanguini perpetim ingeſtus eam paucis diebus revocat, & febrim lentam & hecticam ſuſcitat, dum ſanguinis maſſam putredinaliter reſolvit & colliquat, quod vis corticis, etſi ſupponatur conſtrictiva, nequit impedire.

CAPUT X.

Cortex Peruvianus adæquatum in febri quartana remedium.

Quàm rebellis ac contumax ſit illa *Saturni filia*, uti *Octavio Horatiano* teſte antiquitati audit febris quartana, notiſſimum eſt ex tot medicorum obſervationibus. *Fernelius* quidem ex *Avicenna* perhibet, ſi in diæta non committatur error, ultra annum non extendi. *Wierus* hanc ad quintum uſque & ſeptimum, *Foreſtus* ad nonum, *Maſſarias* ad viginti duos annos perduràſſe fidem faciunt. Ego teſtari poſſum eandem in fœmina ultra triginta annos, conceſſis tamen interdum unâ alterâve ſeptimanâ induciis, perſtitiſſe. Acceſſit me petens curari, ſed corticis vires in ea tentare & diffamare nolui, ne ſubiret ſpeciem ut occiſa, quam ipſo fato brevi perimendam prævidebam, quod & eodem anno contigit.

Nemo in veterum monumentis verſatus ignorat, juxta quot indicationes, & quantâ remediorum methodicè adhibitorum mole hoc medicorum opprobrium & ſcandalum expugnare

coacti

coacti ſint, antiquam tamen ſemper obtinente pervicaciam hac furiarum quartâ. Quorum tamen diligentia ſumme laudanda eſt, quod quæ in poteſtate artis illo tempore fuerunt, eorum nihil prætermiſerint Neſcio verò an hodie excuſandi ſint, qui neglecto & contempto cortice peruviano & omiſſâ ſedulâ circa ejus componendi præſcribendique artificium inveſtigatione adhuc antiquorum obtrita veſtigia quærentes, ſexcentis præparantium & catharticorum torturis miſeros ægrotantes fruſtra divexant. Si quis rejecto pulvere tormentario, qui momento temporis excelſas moles dejiciendo potentiùs operatur, quàm intra plures dies veterum catapultæ & arietes, adhuc hodie horum operâ in demoliendis propugnaculis utendum ſuaderet, nunquid à mente abiiſſe dici poſſet? præſente & ſuppetente cortice tantâ bonitate & agendi energiâ a Deo donato antiquæ adhuc inhærere medicandi methodo, eſt ad ſolem meridianum cœcutire. Non unum tamen novi medicum, qui obſtinato præjudicio excœcatus præfractè etiam ſumma urgente neceſſitate, ut mox recenti exemplo oſtendam, ſanitatis beneficium à cortice ſuſcipere detrectavit, & ſine ejus uſu mori quàm cum eo vivere maluit. ô deplorandam hominum ſtoliditatem, quam nec tota curabit Anticyra!

Medicus ad oras Weſtphaliæ famigeratus, qui rectè valens aliis conſilia dare, ſibi ægrotans non poterat, corripitur febri quartanâ, cum qua per plures menſes conflictatur, malens per exſpectationem longiſſimam ſolo, quod

quód ſperabat, naturæ robore, quàm ſubito per corticem ab illa liberari, ex metu panico, ne podagram, quâ olim non ſemel laboraverat, & quæ jam ſilebat, ita offenderet, ut eum non reviſere dignaretur, utpote à qua longævitatis gratiam ſat imprudenter exſpectabat. Hæc itaque continuò erat in votis & ſpe, quòd ſponte redux quartanam ſuo hoſpitio eſſet expulſura. Verùm decollavit illa. Qui potuiſſet reſtauratis per corticem viribus gloriosiùs, aliquando ſub podagra mori, illis paroxiſmorum frequentiâ violentiâque exhauſtis ſub tyrannide quartanæ improvidè extinctus eſt. Non equidem illum lugent *Muſæ*, cum quibus vivens non adeo magnum habuit commercium, unde nec ego leſſos addam. Vir hic ſuperficiariâ praxi tinctus ſi in celebrium medicorum ſcriptis diligentiùs verſatus fuiſſet, potuiſſet intelligere & ipſum corticem neutiquam in podagra exiſtere noxium, quod ne à me gratis dictum videatur, Practicorum inſignium authoritatibus confirmabo.

Martinus Liſterus Exercit. de Arthritide ex cortice peruviano, ſpeciebus aromaticis roſatis, ſale martis & agarico cum ſucco hypociſtidis parat pilulas, quarum unam vel duas quotidie vel alternis noctibus ad præcautionem podagræ ad menſem juſſit deglutire: & ſub finem exercitationis addit unum illud certiſſimum: *ſi quid emolumenti nobis detraxerit cortex peruvianus, abunde reſtituit ejus intempeſtiva ac infinitè repetita exhibitio.* Jungo huic alium Medicum Anglum pariter expertiſſimum *Guilelmum Muſgravi*. Hic nobili

bili matronæ podagricæ in arthritide hyſterica ad roborandos alendosque ſpiritus decocti corticis peruviani martiati hauſtum horis duabus medicinalibus in menſem uſurpandum ſummo cum emolumento præſcripſit.

Conſentiunt Anglis Galli. *Antonius Deidier* Profeſſor Monſpelienſis *Diſſertatione de Arthritide* anno 1726 in lucem emiſſâ ſub Quæſtione: an Arthritidi curandæ quærendum lithontripticum, ipſe reſolvit, & cœteris omnibus præfert medicamenta martialia Quinquinæ juncta, ad deobſtruenda vaſa lymphatica, & reddendum tonum fibris laxatis.

Sed quid ad hæc medici Germani. Academiæ Baſilienſis illuſtre Decus *Körigius* cortici admiſcet Regulum antimonii medicinalem & in uſum podagricorum pilulas format cum ſucco prunorum ſylveſtrium inſpiſſato, podagræ & febri ſic unà adferens remedium. Artis Jatricæ Heros *Fridericus Hoffmannus Conſult. Tom. Decur.* 3. *caſu* 10. Adoleſcenti in podagra hæreditaria ad ſtomachi totiusque naturæ confortationem inter cœtera chinamchinam præſcribere non omiſit. Ex quibus diſpaleſcit quàm malè ſibi conſuluerit iſte medicus etſi enim intentione primaria ad fugandam febrim cortice uti noluiſſet, conveniſſet tamen ſecundariâ ad roborandum amaritie ſtomachum morbi diuturnitate relaxatum, atque ad reſtituendum vigori primævo ſanguinem longâ febri jam vappidum effætumque redditum, ſicuti id ipſum ſummè recommendat *Matthæus Pallilius* Medicus Romanus, in Epiſtola ad *Baglivum*. Potuiſſet eandem ſumere

mere informationem ab Expertiſſimo *ſydenhamio*, qui *Tr. de Podagra* hac laborantibus corticem peruvianum ceu ſanguinis ſingulare corroborans vegetansque ad grana aliquot mane & ſero aſſumendum ſtudioſè commendat. Si eum addidiſſet Electuario *Sydenhamii* antipodagrico amaro viribus præſtantiſſimo, quo ipſe autor longo annorum ſpacio uti eſt ſolitus, duos unâ fideliâ dealbaſſet parietes, & tollendo quartanam, & podagræ recurſum vel neutiquam tollendo, vel majori deinceps euphoriâ exſpectando. Sicque vitam ad plures adhuc annos protelare potuiſſet. Sed vah! medicus qui ſibi nequam, cui bonus? deduxi hæc prolixiùs, ut in arte novitiis, ſi quartana cum podagra complicata curanda occurrat, pro cautela inſerviat.

Memorabo nunc è contra caſum quartanarii corticis beneficio feliciter curati. Miles quartanâ & ſimul Dyſenteriâ per ſesqui annum miſerè exhauſtus à Centurione meæ curæ ſubmittitur. Statim memor Aphoriſmi *Hippocratici* quarti & octavi ſectione ſextâ, hærebam dubius quid agerem. Dyſenteriam enim febri quartana ſupervenientem ſalutarem pronunciat ſenex. Recordabar poſtulati *Helmontiani*, quartanam in ſplene ipſo veniſque ejus contiguis hoſpitium delegiſſe, lienoſis autem difficultatem inteſtinorum, id eſt juxta interpretes dyſenteriam, ſupervenire bonum eſſe. è contra verò cum uterque affectus jam pari paſſu per 18 menſes ambulâſſet, neque ullum ab evacuationibus ſanguinolentis febri levamen acceſſiſſet, judicavi jam tempeſtivum eſſe, unâ eadem-

eademque methodo utrique mederi. Præmiſſâ igitur per tres dies radice ipocaucantiâ, corticis (qui non unam in dyſenterico fluxu implet indicationem) Theriacalibus anodyniſque remixti uſum ad plures dies impero. Quibus paucis intra quindenam à gravi hoc complicato morbo feliciter & perfectè liberatus eſt, licet adeſſet quartanæ curationi aliàs non favens autumnus.

Silentio non præteribo caſum tertium Quartanæ complicatæ, cujus reſolutio à me priori anno expetita eſt. Eccleſiaſticus ab aliquot annis coli doloribus acerbiſſimis, quibus nullius medici operâ liberari potuit miſerè vexatus menſe ſeptembri quartanâ corripitur, cujus paroxiſmis jam per menſem exagitatus curationem anhelat, reluctante tamen ejus medico ordinario & ſuadente illius therapejam uſque ad feſta natalitia ratione ſolſtitii hyemalis differendam eſſe. Quærit an id tempus neceſſariò ſit exſpectandum, an verò ejus curatio jam tutò poſſit inchoari.

En quam dedi reſolutionem. Quæ fuerit colicæ iſtius tam refractariæ & medicorum conatus eludentis ſpecies atque indoles, in caſu quidem non memoratur, facile tamen hariolari eſt, ejus cauſam abſtruſiùs latitâſſe, ejuſque naturam à medicis curantibus minùs fuiſſe penetratam. Indico fuiſſe affectum inteſtinorum ſpasmodico-hæmorrhoidalem, ſive dolores meſenterico convulſivos ab irritis conatibus excretionum hæmorrhoidalium, qui fortè nimiùm calidis, carminantibus aut catharticis in tali colica ſummopere nocentibus, neglectâ

à

à vino abſtinentiâ, fruſtra tentati fuerunt. Unde hujuſce & radice & fiendi modo conſideratis quartanam ceu affectum affinem naſci potuiſſe facilè concipitur. Quo quidem poſito nulla emergit ratio, quare ejus curatio poſt ſolſtitium hyemale differenda ſit, hoc enim tranſacto nec levior erit, nec cauſa ejus magis eradicabilis, nec facilior ejus quàm nunc curatio, imò ne ſecurior quidem. Inprimis enim cum vires doloribus colicis præcedaneis diu attritæ repetitis quartanæ inſultibus magis conſumantur, ſanguis magis depravetur, & humorum eucraſia evertatur, an tum magis debilis patiens curationis poſt hyemale ſolſtitium erit capacior? credo quod non. Aut num fortè ſolſtitium peractum id potentiæ habet, ut omnem tollere metum poſſit colicæ nunquam reverſuræ, poſt ſublatam magis eo quàm hoc tempore quartanam? inanis ſpeculatio nullo experimento confirmata. Metuendum potius, ne quartanæ diutius protractæ adeoque altiùs radicatæ ipſa rurſus colica (nam tantùm inducias, non verò pacem iniiſſe certum eſt) ſeſe aſſociet, ſicque illa reddatur gravior, hæc periculoſior, conſertiſque viribus utraque ſic potens, ut penitus deinceps eluſura ſit artis conatus in Domini ægrotantis perniciem. Certum tamen eſt, hanc quartanam non proletariâ & vulgari methodo tractandam, ſed eo dirigendam eſſe curam, ut dum illi eradicandæ navatur opera, unà quoque colicæ jam fere habitualis extirpandæ cauſæ, non neglecto ad negotium hæmorrhoidale reſpectu, inſudetur. Habes meam mentem, meum conſilium, quod

medico præſenti optimum videbitur facies; opto tibi eum ſaltem non ex trivio *chinatum* ſed rationalem & in corticis peruani exhibitione probè exercitatum, ne quod ipſe prudenter pertimeſcis in ſcyllam incidas volens charybdim vitare. Si ille autem ſapienter judicet, colicæ tuæ hanc eſſe ſpeciem atque indolem, ut ejus mineram paulatim à quartana exhauriendam ſperare liceat, quo ejus repullatio deinceps metuenda ſit nunquam, profectò ejus curationem non tam poſt ſolſtitium differendam, quam vel ipſi naturæ (modò ſatis vitalis ac vegeta ſit) committendam eſſe non invitus conſenſerim. Verùm habitualem colicam à quartana accedente ſine recidiva eradicatam eſſe, hactenus quantum memini ſcriptorum nemo in annales medicos retulit &c. Hoc meum fuit reſponſum.

Superſedeo plures caſus ex diariis meis afferre. Hoc tamen dignum relatu, quod hiſce annis mihi obſervare licuerit Quartanas inverſas, quo nomine *Wedelius Eph. Germ. Cur. Dec.* I. *ann.* 9. *&* 10. *obſ.* 40. appellat illas, quæ ab initio ſtatim nullâ præeunte quartanâ ſimplici hunc typum ſervant, ut duobus ex ordine diebus paroxiſmus redeat, tertio intermittat, uti & quartanas duplices; quæ à prioribus in hoc differunt, quod eundem quidem typum ſervent, præviam tamen habeant quartanam propriè dictam quas utriusque ſpeciei febres etiam ſine difficultate cortex meâ methodo adminiſtratus ſuſtulit. Accitus ad Diæceſeos Monaſterienſis virum primarium quartanâ duplici ſecundi generis jam

al

ab aliquot ſeptimanis laborantem, cui medicus alius non inexpertus, ſed corticis non magnus fautor, alcalina, teſtacea, ſalina, & amaricantia diu fruſtra præſcripſerat. Illi mecum ad conſultationem vocato propoſui hoc dilemma. Quartana hæc duplex vel ſine cortice peruviano curari poteſt, vel non poteſt. Si poteſt, quare remediis hactenus ſat dextrè præſcriptis tanto temporis intervallo non eſt curata? ſi non poteſt, quod impedimentum, & quæ neceſſitas illius uſum in febri jam ſatis chronica & Domino moleſta differendi? Reſpondit vir doctiſſimus non poſſe. Ordinatus itaque cortex in infuſo cum aliorum antifebrilium neceſſario additamentio, quo brevi abactam febrim optata excepit ſanitas.

Vos igitur medentes, qui averſamini in quartana corticem, nunquid poſt tot purgantium carnificinas, poſt toties evacuatam humorum ſaburram ægros deſerere debetis debilitatos ſub deſperationis cuſtodia, culinæque regimini commendatos, & fateri (textum *Helmontii* repeto) hæc verba ab initio in pectore vobis latuiſſe: contra quartanam habemus nihil, ſanguinem mittimus atque purgamus, atque deinceps nihil ſcimus. Oportet exſpectare terminum cum patientia, quia contra quartanam non eſt remedium in noſtris apothecis. Natura ſe ipſam juvare debet.

Sed Deo perſolvamus grates, quòd beneficio corticis ab hac exprobratione liberati ſimus, glorietur ille ſuo *mercurio diaphoretico*, quòd omnem febrim in ſuo ſemine extinguat. Exprobret, quod medici nomine indignus ſit,

qui febricitantem non reſtituit ante quatriduum. Nunquid idem auſit dicere, qui corticis miſcendi & adminiſtrandi veram methodum didicit. Certè huic ineſt virtus longè ſublimior, utpote ſpecifica & dotalis quàm mercurio diaphoretico, qui productum artificiale vi tantùm agit reſolutivâ. Dotes enim ſpecificas neſcit ars producere, ut latiùs in *Helmontio Ecſtatico* deduxi.

Si verò quartanæ adſint abceſſus viſcerum, ſi profundæ ductuum pancreaticorum obſtructiones. Si graves ſcirrhi, ſi in hepate juxta *Ballonium* gangrænoſa diſpoſitio, tales abeſt, ut cortice exhibito curentur, ut potius incurabili febris violentiâ intereant. Quorum mors poſtea fortè dato cortici imputatur, quos tamen ipſa viſcerum vitioſa & incorrigibilis diſpoſitio peremit.

CAPUT XI.

Cortex peruvianus providè & cautè adminiſtratus tutum ſatis & efficax in febribus continuis remittentibus medicamentum.

Expeditæ in cortice in compeſcéndis febrium intermittentium paroxiſmis activitatis frequentior obſervatio medicos tandem audaces fecit, ut rationali epilogiſmo inducti in febribus continuis periodicis, quæ quidem nullas in-

intermiſſiones, manifeſtas verò remiſſiones habent, ejuſdem poteſtatem experiri non reformidârint, & ſucceſſu quidem adeo felici, ut innumeri febri remittente horrendis ſymptomatis ſtipatâ in præſens vitæ periculum adductì per illum quaſi ex orci faucibus erepti fuerint. Quare *Pitcarnii* poſtulatum & Theſis *Elem. med. l.* 2. *c.* 1. §. 54. hæc eſt: *Periodicis continuis, ſi remiſſio ſit inſignis, quamvis non dici poſſit vera intermiſſio, debet adhiberi cortex Peruvianus.*

Continuarum periodicarum tam ſpuriarum, quàm continuarum proteo-formem eſſe genium, varium motum, ancipitem decurſum & periculoſum non rarò eventum notum eſt in praxi quotidiana verſantibus. Antiquorum illas curandi methodus rationalis, quàm incerta ac dubia ſit, illorum nemo non experitur. Lucta illa naturæ & de materiâ peccante per criſin exſpectata victoria non rarò otioſos ſpectatores deludit, ut ſub funeſto eventu familiæ deplorent & deteſtentur ſententiam ſuorum medicorum, febrim eſſe ſalutarem naturæ motum, adeoque neutiquam ſufflaminandum. Sæpius in febribus continuis cum tertiana ſimplici aut duplici complicatis vires ægrorum ita atteruntur, ut vix paucis paroxiſmis pares fore ſpes affulgeat, eaque metuenda ſint ſymptomata, à quibus certa pernicies imminet. Hic ægrotantes ſolius naturæ præſidio committere, & ex longa lentaque humorum præparatione & coctione criſin exſpectare eſt hominem in manus ſicariorum aut prædonum ex infortunio delapſum, non auxiliari, quâ poſſes, manu mox

eripere, ſed eum tum terrore tum luctâ ferè exanimem, propriis viribus ſalvandum deſerere.

Saniori judicio & meliori fortunâ tali in caſu & tantâ urgente neceſſitate ad corticem tanquam ad ſacram anchoram ſe ſæpius recurriſſe & vim morbi ſuperâſſe fidem facit Excellens Practicus *Daniel Pucrarius* in *Obſ. ad Th. Burneti Theſaurum medicinæ Practicæ. Richardus Mortonus* corticis ſi quis alius ſolertiſſimus explorator eundem quoque in ejusmodi continuis periculoſis ſtatim ante tertium diem, priuſquam febrile venenum ex mora exaltetur, & febris typum mutans ex benigna in malignam tranſeat, & ob ſymptoma aliquod grave ſubſequens funeſta evadat, exhibuit. Antiquorum illa cura, quam vocabant methodicam, incerta eſt, dubia, longa, ac propter criſin periculoſa; per corticem verò debitè adminiſtratum cita, tuta & jucunda, quo omnes continuas periodicas in omni ætate, ſexu, ac temperamento feliciſſimo ſucceſſu profligâſſe conſcientiæ cauſâ teſtatur vir hic expertiſſimus, ut ut ex præconceptâ opinione reclamârint amici, medici, vel ipſi ægrotantes. Quorum inſignium Practicorum veſtigiis magnâ circumſpectione, & ut verum fatear circa praxeos meæ initia ſæpius non ſine formidine inſiſtens continuas aliis antipyreticis licet elegantioribus fruſtra tentatas, ubi jam in ancipiti ſtare videbatur ſalus ægrotantium, aſſiſtente cælo feliciter curavì, & fere conclamatos quaſi ex mortis rictu extraxi.

Ratio

Ratio præſentanei hujuſce effectûs eſt, quòd continuæ periodicæ à ſimpliciter intermittentibus non genio ſed gradu tantùm differant. In illis enim licet æger continuò quidem febricitet, id eſt, calor febrilis nunquam penitus extinguatur, ſtatis tamen periodis, ſingulis vel alternis diebus ſtatâ & certâ horâ, & exacerbationes & remiſſiones experitur. Quia enim in unoquoque certamine *Archeus* ſeu natura hoſtilem materiam penitus nequit devincere, ſtatus plenè apyretos ſequi non poteſt; cortice autem roboratus eandem æque certò ac citò ſubigit, ac ipſam intermittentem, modò graviora ſymptomata, de quibus mox infra, ejus uſum non impediant.

Dico igitur, in ſimplici ſynocha, quæ exacerbationes & remiſſiones ſtatis ac certis periodis habet, & præſertim ſi nullum adſit inſolitum ſymptoma, aut ſymptomatis gradus vehementior, incunctanter ad corticem, ratione ſymptomatum, vomitus, diarrhoeæ, ſpaſmorum &c. debitè modificatum, priuſquam ad ſtatum febris aſcendat, & paroxiſmis ferè abolitis naturam mutet, eſſe deveniendum. Qui tamen non niſi durantibus remiſſionibus, quarum exactior obſervatio non raro medici præſentiam exigit, & in quibus ſolùm datur occaſio hoc ſpecifico utendi, exhibendus & jugiter uſque ad requiſitam quantitatem conveniente doſi & in appropriatis vehiculis eſt repetendus. Ne verò hæc à me ita crudè ſcripta quis exiſtimet, addendæ ſunt obſervatu dignæ cautelæ, ut ex his & aliorum periculis ſapere diſcant juniores.

Inprimis igitur probè indagandum, priusquam in febribus continuis exhibeatur cortex, an ſint verè de proſapia periodicarum, & veras habeant remiſſiones, cum quibus non confundendi ſunt iſti leviores motus & horrores, in internis vellicationibus, nam & tales in febribus continentibus ſeu ut appellant, eſſentialibus, nec non inflammatoriis obſervantur. Omnes namque morbi graviores ad veſperam exacerbantur juxta *Hippocratem* 4. *Epidemiorum.*

Ita in conſtitutione Epidemica Vratislavienſi (cuius Hiſtoriam vide in *Ephem. German. N. Curioſ. anno* 1702.) Febribus continuis populariter graſſantibus annus 1699. plurimorum morte fuit nefaſtus, cuius cauſa in chinamchinam promiſcuè exhibitam potiſſimum fuit relata. Confer. *Dan. Crügeri Obſerv. Ephem. G. C. Decad.* 3. *ann.* 3. Eundem corticis infauſtum in continuis ejuſmodi epidemicis ſucceſſum variis temporibus & Mutinæ & Patavii obſervavit *Ramazzinus*, hoc ceu æterna memoriâ dignum addens: quod clariſſimos duos Medicos *Richardum Louverum* celeberrimum Anatomicum & ex elegantiſſimo de corde tractatu Reip. literariæ ſatis notum, & *Sohortum* cortex peruvianus in febri continua aſſumptus, alterum nono, alterum undecimo die aut circiter è medio ſuſtulerit.

Unde ejuſdem ſanum conſilium & fidele monitum eſt, in febribus caſtrenſibus, quæ a ſui initio utque ad finem algorem habent comitem perpetuum, ut & aliis epidemicis ejus uſum eſſe periculoſum, ſatius verò pravos &

ma-

malignos humores per diaphoretica ad ambitum corporis ſenſim promoveri, ne intro detenti ad cerebri aliorumque viſcerum nervoſas partes delati funeſtas inflammationes accendant. Quod pariter hiſce verbis confirmat *Mortonus*: *in febribus malignis, inflammatoriis, colliquativis, ubi æger in extremo diſcrimine verſatur, & quaſi gradu quodam mortuus eſt, à cortice peruviano nil opis omnino exſpectandum eſt.* Ratio eſt, quia in febribus malignis ita oppreſſa eſt ſpirituum elaſticitas, ut corticis vires in actum deduci nequeant, unde incaſſum ejus uſus tentatur. Quamobrem pariter ſeriò monet, exulante omni remiſſione & exacerbationis veſtigio, in pulſu pariter debili ac celeri, internis æſtuantibus, externis frigentibus ob ſpiritus depreſſos non exhibendum eſſe corticem, niſi prius convenientibus adhibitis hæc ſymptomata remittant, & calor ad exteriora revertatur, & ſpiritus expandantur, utpote à quorum robore & vivacitate dumtaxat corticis actuatio dependet.

Si durante Synochæ augmento, præſertim prope ſtatum urina rubra & contentis copioſis ſaturata ſenſim in tenuem & pallidam mutetur quod jam *Hippocrates* noſter pro malo omine habuit, ſi pulſus magis celer debilis ac vacillans evadat, multò magis ſi lypothimiæ, ſubſultus tendinum, loquacitas, inſomnia terribilia, aut phantaſmata inuſitata, aut etim coma, vigiliæ, deliria aliaque generis nervoſi ſymptomata accedant, quippe quæ peſſima ſunt febris in malignam tranſeuntis indicia, corticis ceu imparis nullus eſt uſus,

imò certa noxa. Conſer. *Morton. Exerc.* 2. c. 1.

Doctiſſimus *Baglivus* Pr. Med. l 2. c. 3. §. 4. monet: ne detur ſi adſit ſuſpicio inflammationis alicujus viſceris vel abceſſûs interni, vel etiam morboſa partis alicujus debilitas & diſpoſitio. Nam talibus in caſibus non tollit ſed auget febrim, omnemque morboſam materiam in affectum locum deponendo ac figendo inflammationes lethales ac demum gangrænam producit.

In febribus maximè calentibus, quæ juvenes temperamenti bilioſi & tempeſtate præſertim calidâ aggrediuntur, ſi nulla obſervetur ſenſibilis remiſſio, cave exhibere corticem. In illis namque non raro perniciofus & fatalis eſt ejus uſus. Ratio eſt. Quia dum cortex ſanguinem jam rarefactum reddit fluidiorem, materiam quoque peccantem in eo fluctuantem magis comminuit atque dividit, quæ quia nondum cocta, ſive à ſanguine ſeparabilis eſt, ut eliminari poſſit, vehementiori ſanguinis motu profundius cerebri poris impingitur, unde convulſiones, ſpaſmi vel deliria ſequuntur, & febricitantes lugubri hac methodo extinguuntur. Cujus infauſtum exemplum priori anno annotatum Practicis junioribus communicabo.

Vir quidam clariſſimus febri ſynochâ, cujus præcipuum ſymptoma erat ſingultus ſeu ſpaſmus ventriculi contumax, correptus curâ & operâ duorum medicorum utebatur, qui tamen impedire non poterant quin intra paucos dies plurium numerum augeret. Germanu Frater, qui ægrotanti ſæpe adſtiterat,

brevi

brevi quoque incipit langueſcere, toto corpore laſſari, de appetitu penitus dejecto conqueri, & ſingultum valde moleſtum pariter experiri. Medicorum alter, qui fratri adfuerat, in conſilium vocatus, rem exigui eſſe momenti judicat cum ſenſibilis febris non adeſſet. Ego quarto circiter die accerſitus in eo ſtatu quem deſcripſi ægrotantem lecto affixum, viribuſque corporis & mente dejectum invenio. Formo mox Epilogiſmum, & eâdem, quâ defunctum, febri eaque ob ſymptoma convulſivum in continuis maximè ſuſpectum ſatis periculoſâ laborare, hanc verò ob ſpiritus tum mœrore ex obitu fratris concepto, tum aliquot jam dierum inediâ, vigiliis atque ſingultu admodum depreſſos ſeſe ſufficientem exercere non poſſe prætendo. Unde quæ hos exſuſcitent, ſpaſmis reſiſtant, & maſſam ſanguinis maligno fortè contagio tactam in debita mixtura & fluiditate ſervent, bezoardica antifebrilia temperata, in ejuſmodi caſibus à me ſæpiſſimè comprobata, præſcribo, non omiſſis topicis, quæ regioni ſtomachi ad deliniendos motus diaphragmatis ſpaſticos erant imponenda, Theriacalibus & balſamicis. Hæc in celeberrimæ urbis aliquot horis diſſitæ pharmacopolio erant paranda. Præmiſſâ igitur de omnibus neceſſariis informatione Domino ægrotanti valedico. Hunc me vix abeunte viſitat vir quidam militaris non gregarius, ejusdem oppidi pro tempore incola, & alium medicum, ſed in praxi valde novitium, recommendat, veluti in ejusmodi febribus debellandis quod maximè urgebat, expertiſſimum

mum Achillem. Accerſitus itaque hic ex alia urbe protinus advolat, & meis interim neglectis præſcriptionibus plures chinæ chinæ non parvâ doſi refertos bolos intra Nycthemerum obtrudit, jam de febri fuganda canens triumphum, quaſi magni ex ea præmii & gloriæ reportaturus trophæum. Verùm eheu! quo eventu? Diviſa ſic per corticem & ad cerebrum propulſa materia febrilis coma parit, univerſalibus interpolatum convulſionibus quaſi epilepticis, permanente interim ex ventriculi & diaphargmatis ſpaſmo neque febri vel minimùm ſufflaminatâ. Fert caſus, ut poſt triduum in idem Oppidum ſed ad alium ægrotantem advocarer, quâ occaſione ad priorem Dominum rogor accedere. Gratificor ſed illubenter, eò quod neglectis meis præſcriptionibus & me inſcio aliûs medici conſilio & remediis uſus fuiſſet. Offendo adhuc duos bolos chinatos, nempe, ſolitarium corticem conſervâ aliquâ obvolutum, quorum jam ultra duodecim devoratos domeſtici referebant. Peſſimè hoc factum, inquam ego, china-china in ejusmodi febribus malignis & convulſivis plerumque exitium poſt ſe trahit, interim eâdem veſperâ me præſente curru poſtario adhuc advolant aliquot pulveris antifebrilis doſes, quibus inſcriptum erat, certis horis ſed extra paroxiſmum eſſe ſumendos. Stolidum, inquam ego, hoc medicantis imperium, cum illo nunquam æger careat, nec niſi poſt mortem brevi ſecuturam cariturus ſit. Ex quibus ſatis patet juvenem iſtum practicum naturam febris non cognoviſſe, & habuiſſe pro intermittente, quæ ne remiſſiones quidem habebat.

bebat. Sperabat ille ex empirica corticis exhibitione (nam & eandem in urbe practicis ſanioribus methodum eſſe dixerat) magnam celerrimæ curationis laudem, cujus tamen ſpes cum viri optimi intra 24 horas ſubſequente inter convulſiones extinctione miſerè decollobat.

Diſcant hinc practici juniores in febribus continuis non remittentibus, inprimis verò malignis & ſymptomatum periculoſorum comatis, ſpaſmi, ſingultûs &c. ſyndrome ſtipatis piaculum eſſe exhibere corticem. Expreſſis non ſemel monuit in Praxi longè verſatiſſimus *Mortonus* nullum in ejuſmodi febribus hujus antidoti febrifugæ uſum eſſe, donec ante vel natura venenum ſubigatur, & febris typum benignæ remittentis induere incipiat. Cautiùs multò proceſſit *Cl. Joannes Jones* hanc inculcans regulam: ſi in febri ardentiori utpote tertiana exquiſita ut & continua remittente cortice ad aliquot doſes ſumpto nullum levamen aut notabilis in melius alteratio ſentiatur, ſed febris potius excandeſcat, à corticis uſu omnino deſiſtendum eſt, & ad regimen refrigerans & paregoricum confugiendum, utque dum febris ad caloris gradum ſatis remiſſum (à ſagaci ſolummodo medico dignoſcendum) redigatur, & tum quidem (cautè tamen regiminis frigidi præſidiis non omiſſis) cortex reſumi poteſt. Cuicunque proximi ſalus cordi eſt, ſuadeo, ut quandocunque in febribus continuis exhibito cortice pulſus admodum deprimitur, & ægrotus torpidus & comatoſus evadere incipit, confeſtim ejus uſus intermittatur, & ſi

quid

quid horum ante exhibitionem adeſt, nullatenus propinetur, quia exitus plerumque funeſtus ſequitur.

Hæ ſimilesque cautelæ quia à nonnullis Practicis corticem ita ſolitarium ſine quacunque alia pharmacia, & ne exſpectatâ quidem coctione ſtatim à principio adhibentibus obſervatæ non fuerunt, plura proſtant infelicis ſucceſſûs exempla, quæ eum aliàs inſontem admodum infamârunt. Ea hic recenſere pagellarum prohibet anguſtia. Adhuc recentiſſimum memorant *Acta phyſico-medica Academiæ Cæſ. Leopold. Carolinæ Nat. Cur. vol.* 1. *obſ.* 101. *anno* 1727. publicata de magna & pertinaci nervorum diſtenſione tertianam continuam cortice peruviano expugnatam ſecuta. Qui cautelas allatas diligentiùs obſervaverit, non facilè in tales incidet ærumnas.

CAPUT XII.

Corticis peruviani efficacia in variis aliis morbis, & præcipuè iis, quibus junctæ ſunt commotiones febriles.

Etſi cortici peruviano non ineſſet vis ſpecifica febrifuga, nihilominus in cenſu remediorum præcipuorum eſſet reponendus ob virtutem tum ſalis volatilis aromatici, quo fluidad attenuat, tum amaræ ſtipticitatis, quâ to-

num

num ſolidorum in morbis chronicis laxatum reſtituit, ventriculum aliaque viſcera corroborando, unde Exc. *Frid. Hoffmannus* eundem electuariis ſtomachicis ſagaciter admiſcuit. Et *Carolus Muſitanus* Hypochondriacis & cachecticis ſingulo mane ad unius drachmæ pondus cum vino quatuor horis ante prandium exhibitum ſummopere prodeſſe ſcribit ſuffragante experientiâ,

Cl. *Ettmullerus Diſp. de uſu & abuſu præcipitantium* refert eundem hodie in Anglia ad epilepſiæ curam auſpicatò adhiberi, non ſecus ac ad hypochondriaca ut & hyſterica pathemata, nec non in Gallia ad pallidos colores & ſuppreſſiones menſium à quibusdam commendari. Quod poſterius tamen ſingularem providentiam meretur. Etſi enim Cl. *Samuel Ledelius Eph. Germ. Cur. Dec* 3. *ann.* 2. *obſ* 49. Singularem in quinquina deprædicet virtutem emmenagogam, attendi tamen meretur hiſtoria fœminæ apud prælaudatum *Hoffmannum Conſult. Dec.* 1. *part.* 2. *caſu* 8. quæ tempore fluxûs menſtrui electuario chinato utens, fomite febris non priùs correcto vel expulſo, in ejus plenariam & totalem ſuppreſſionem plures annos perdurantem & nec generoſiſſimis remediis curabilem incidit. Quod pro cautela ſerviat. Ne quis dum motus febriles ſiſtere intendit, excretiones pariter ſanguineas criticas narium, menſium, vel hæmorrhoidum imprudenter ſupprimat.

Inprimis cortex efficaciam exerit in affectibus per periodos affligentibus, ut ſunt jam dicti melancholici & hypochondriaco-hyſterici,

in

in quibus ſæpiſſimè præ cœteris levamen attuliſſe propriâ experientiâ comprobat *Guil. Musgravius Tr. d. Arthr. anom. c. 5.* Decoctum inquit corticis ſimplex vel pro re nata chalybeatum roborat ventriculum, eupepſiam infert & ad ſpiritus ſtabiliendos (quod hypochondriacis & hyſtericis lucrum prægrande) ſummarum virium & momenti eſt. Multùm valet hac in parte ſimplex propter id, quod habet Cardiaci & nervis propitii: multò vero magis armatum, medicamentum ſi quod unquam polychreſtum. Unde quoque magni judico æſtimandum inſuſum *Loweri* martiale amarum, in quo gentianæ loco corticem Peruvianum ſubſtituit *Piſcarnius.*

Similem ſortem experiuntur plures alii morbi per paroxiſmos infeſtantes. Ita obſervationem hemicraniæ vehementis & inveteratæ per corticem feliciter curatæ lege in *Actis Phyſicomedicis* prælaudatis *obſ.* 89. ita Cl. *Michael Bernardus Valentini* juvenem aſthmate periodico ad phthiſin jam inclinante eodem ſe feliciſſimè reſtituiſſe teſtatur *Tr. de chin. chin. c.* 2. § 6. ita dolorem iſchiaticum periodicum ejuſque cauſam à china chinà, cum antihectico Poterii &c. averruncatam memorant *Miſcellanea Curioſa Decad.* 3. *anno ultimo obſ.* 206 & 207. Ut plura ejuſdem commatis ſilentio prætercam.

Aſteriſco igitur practicis notandum, graves affectus, quibus junguntur commotiones febriles, non facilè ſanari, niſi his unà vel præviè per corticem remotis. Et licet in iis nullum caloris febrilis evidens, indicium ſe prodat,

dat, ſi tamen periodicè, & ſtatis paroxiſmis exacerbentur, & urina coloris lateritii contentis ſaturata, & lingua mucoſitate obducta ſit, ſuſpicari licet ſubeſſe fermentum febrile. Quibus ſymptomatis vix per remedia ordinaria adfertur medela, niſi adjuncto cortice. Exemplo ſunt Diarrhœæ & Dyſenteriæ epidemicæ, quæ non raro quotidianas & tertianas habent ſuorum torminum, colliquationis, cœterorumque truculentorum ſymptomatum remiſſiones, quorum latens febris cauſa eſt. Harum curatio fruſtra purgantibus, adſtringentibusque imò opiatis, etiam largiori doſi exhibitis, tentatur. Sed cortex peruvianus hiſce commixtus, & ſub ſymptomatum remiſſione exhibitus, & quartâ quaque hora repetitus fermentum febrile colliquativum compeſcendo fluxum & tormina ſiſtit. Confer. *Morton. Exerc.* 2. *c.* IX. *obſ.* 1. 2. 3.

Sic pariter in omnibus affectibus, quos fovet colliquatio ſanguinis febrilis, quâ ſerum acrius vel in ſtomachum vel inteſtina præcipitatur, unde vomitus, choleræ, colica &c. cortex anodynis aliisque ſpecificis ſociatus cœteris omnibus facilè palmam præripit. Hæmoptoen habitualem ab inteſtino ſanguinis quaſi fermenteſcentis & vaſa acrimonia aperientis motu dependere Practicorum conſenſus eſt, nam febrim unà cum accelerato pulſu lotioque ſubrubro ſemper habet conjunctam, poſt incerta intervalla ſolitam recurrere. Hic niſi cortex veluti antidotum Herculeum opem præſtet, vix citò & tutò præſentem hæmoptoen ſiſtere & futuram prævenire poteris,

Saltem hoc modo curatam nunquam in phthiſin terminatam vidit *Mortonus*, in Phthiſi pariter hæmoptorica acuta & periculoſa in forma ægrotanti quàm gratiſſima ſumendum super omnia commendans, à cujus repetitione ſatis frequenti caloris febrilis temperatio, & inteſtini ſanguinis motûs ſuppreſſio, & conſequenter etiam recurſus hæmoptoës, & progreſſus Phthiſeos magis quàm à lactea Diæta, lacte aſinino, & apparatu medicaminum pulmonarium venit exſpectanda.

Tabes Anglica quot mortales ad tumulum quotannis abripiat, notum eſt in Angliæ hiſtoria verſatis, nec minùs medicis, quanta illius curandæ ſit difficultas: invenit tamen ſingularem & annotatione dignam curandi methodum celeberrimus *Blakmore* Archiater Anglus, quam ex ejus *Tractatu de conſumptione*, patrio ejus idiomate conſcripto, Germanis medicis linguam iſtam non intelligentibus communicare operæ pretio dignum judico. Qui enim ſagax eſt, eandem ad rebellium chronicarumque febrium, inprimis quartanarum, felicem curationem, (à me non ſemel in caſibus valde intricatis comprobatam) applicare poterit. Methodus eſt quidem brevis ſed perelegans. Ex corticis pulveriſati drachma dimidia vel ſcrupulis duobus cum ſyrupo de rubo idæo aliove fit bolus, qui ſumitur ſingulis auroris, ſuperbibendo tria vitra ad mediam pintam aquæ ſpadanæ, poſito intervallo triginta minutarum, ſeu trium quartarum horæ inter unius cujuſque vitri ſumptionem. Horâ quintâ pomeridianâ bolus repetitur, rurſus ſuper-

perbibendo eandem aquæ ſpadanæ menſuram. Singulis noctibus ſumitur alia doſis de *quinquina* cum diacodii uncia una, cujus ſyrupi etiam cochlear alio tempore tuſſi admodum urgente capitur. Hic integer curæ proceſſus, quo ſe duos ſcribit perſanâſſe phthiſicos, in quibus erant omnia phthiſeos conſummatæ ſymptomata, ulcus, tuſſis continua, expectoratio materiæ purulentæ, ſudor colliquativus, febris vera hectica excepto ſputo ſanguinis. Qui aquarum medicatarum novit virtutes, & aquis ſpadanis huic affectui adhuc utiliores, & Weſtphaliæ incolis magis accommodas ex patriæ gremio ſurrogare poterit.

Tandem pro Corollario excutienda eſt Quæſtio jam olim *Ramazzino* propoſita: an febribus epidemicè graſſantibus ſalubre ſit cortice peruviano uti ad prophylaxin? Reſolvit, & putat ſecundum rationem licere eum experiri, ſed modicâ doſi ad aliquod tempus quolibet mane, antequam febrium periodicarum & continuarum per æſtatem & autumnum ingruat tempeſtas. Nam juxta Hippocratem *quæ facta tollunt, ante facta fieri prohibent.* Sed exhibendum exiſtimat in iis, qui commodo fruuntur ſanitatis ſtatu, nam ſi quid noxii chinæ inſit, convenienti corporis exercitio facilè excutietur. At forſan inquit conſilium magis ſanum erit, remedium iſtud naturâ ſuâ doloſum omittere, nam ex *Celſi* monitu cavendum, *ne in ſecunda valetudine adverſæ præſidia conſumantur.*

Verùm pace tanti viri judico, corticem non modo ceu febrifugum, ſed quoque ceu

peculiare ſtomachi aliorumque viſcerum confortans cum aliis præſervativis congruis mixtum, non ſolum ad epidemicè graſſantium, ſed etiam ad febrium tertianarum & quartanarum poſt anni decurſum non rarò recurrentium prophylaxim tutò atque utiliter aliquoties in ſeptimana aſſumi poſſe. Et non video, quod contra indicans hànc methodum poſſit vetare, cum ſatius ſit à flamma febrili intactum relinqui corpus, quàm jam flagrantis intra viſcera incendii quærere extinctionem.

CAPUT XIII.

Corticis peruviani componendi ſeu miſcendi neceſſitas.

Remedii ſimplicis in affectu graviori debellando infirmitas, vel ejus ſolitarii non ſatis ſecurus uſus, vel cauſarum morbificarum diverſitas, ut & morborum compoſitorum aut variis ſymptomatis complicatorum difficultas, adeoque indicatorum multiplicitas inevitabilem componemdo neceſſitatem induxerunt. Quid igitur de cortice ſtatuendum, an ſemper ſolitariè an aliis adjunctis adminiſtrandus ſit, breviter indagabimus. Cl. *Bonetus in Med. Septentrionali part.* 2. *l.* 7. *obſ* 19. tria hæc habet poſtulata.

1. Corticem quò ſimplicius exhibetur, eò effiacioren eſſe & feliciorem exſerere operationem, neque vim aut conſortium aliorum me-

medicamentorum expoſcere, hinc quidquid in ſocietatem illius venerit, inutile eſſe.

2. Nullo indigere corrigente, cùm nullum ab ejus uſu ex arte exhibiti damnum emergat.

3. Empiricis & oſtentatoribus aſſociandos, qui iis, quæ in illius ſocietatem perperam veniunt, effectum ſi quis ſequatur, adſcribunt.

Verùm hæc pingui nimis minervâ ſcriptitata eſſe ipſa ſatis docet experientia. Quò ad primum enim multoties obſervare licuit, plures cortice ſolitario tractatos à febri haud conſtanter liberari potuiſſe, quos tamen idem additis addendis perſanavit. Simplicis enim corticis exhibitionem citius faciliusque ſequi recidivas, quàm debitè mixti accuratus adnotabit obſervator. Sicuti jam ſupra etiam de *Talbotii* methodo, qua illas avertere non potuit, pluribus diximus. Concedimus inutilia eſſe additamenta, quæ non ſpectant vel materiæ peccantis correctionem & eliminationem, aut corticis exaltationem, hæc quæ præſtant, in illis nullam eſſe vim pernegamus. Etſi enim cortex per ſe activus ſit, impedire tamen non poterit, quin & alia adjuncta vires ſuas nativas in corpore exigant. Ita vel purgantibus vel diaphoreticis vel anodynis additis diverſi ſequuntur effectus.

Secundum quoque refutat experientia. Cùm enim variis in caſibus ſecundùm diverſas febricitantium circumſtantias à cortice exhibito non quidem per ſe ſed per accidens noxa emergere valeat, nunquid prudentiæ medicæ

 erit

erit illam convenientibus admixtis vel ſaltem interpolatis avertere? Exhibere in quacunque febri diverſis ſymptomatis ſtipata ſub tam multiplici ægrotantium diſcraſia nudum corticem damnoſa empyria eſt. Potiſſimam vim febrifugam cortici deberi non inficiamur, ſed debitis additamentis non rarò opus eſſe oſtendam. Audiamus memorabile illud quod *Nicolaus Pechlinus*, ſi quis alius ſcriptor elegantiſſimus, *l.* 2. *obſ.* 21. his verbis refert. Nullis vel exquiſitiſſimis remediis eò perventum eſt, ut quis febris quartanæ in plerisque percurandæ gloriam ſibi vindicare auderet, donec nuper res mira! Empiricus quidam Anglus Pharmacopæi filius veram ſpecifici corticis peruviani utendi rationem docuit, totque medicis exercitatiſſimis pudorem impoſuit. Nimirum etſi corticis illius uſus jam tum ante complures annos inoleverit, nemo tamen repertus eſt, qui ex arte illo uti febrimque in totum profligare potuit, adrepente ſtatim iterum recidivâ medici promiſſoris fidem traducente. Quamvis autem ſemel atque iterum acutâ & frequentatâ doſi ſuppreſſus ſit morbus, violentâ tamen ſanatione in aliud potius & infeſtioris morbi genus mutari viſus eſt. Bonum ergo factum, quod Deo monſtrante Empiricus invenerit momentum illud formulamque, quæ ſtudioſæ dogmaticorum induſtriæ fortuna hactenus negaverat. Ita *Pechlinus*, qui tamen & Empirici nomen & deprædicatam iſtam compoſitionis formulam ſilentio preſſit. Unde cum hoc arcanum nondum innotuiſſe conſtet, meritò in ejus in-

da-

dagine & perveſtigatione opera à medicis di-
ligentionibus collocatur.

Concedimus Cl. *Boneto* corticem peruvia-
num per ſe & ſolitariè debitâ quantitate juſ-
tisque intervallis juxta allatas cautelas febri-
bus, in quibus in ſanguine non eſt vitium,
neque in viſceribus radicata obſtructio, aut
prava in meſenterio cacochylia, ſæpius eſſe
remedium adæquatum, in febribus verò inter-
mittentibus chronicis & continuis acutis ubi
plerumque adeſt hæc diſpoſitio, quis non vi-
det maximam urgere cauſam, ob quam ad il-
larum tutam medelam juxta indicationes ad-
jungenda vel interpolanda ſint alia, quæ mor-
boſam hanc diatheſin unà corrigant?

Si cortex peruvianus, quæ plurium cele-
brium medicorum theſis eſt, vi dumtaxat
aſtrictoriâ febres ſufflaminet, figendo fermen-
tum febrile, in aprico eſt eum in multis, in
quibus hoc non tantum in fluidis vitalibus ſed
etiam ſolidis ſtabulatur, corrigente indigere,
& aſtrictionis noxam laxantium & reſolven-
tium additione eſſe removendam.

Obſervatione porrò dignum eſt Cortici
hodie non illam eſſe virtutem, quæ olim ſub
primum in Europam adventum, quo tempo-
re, nempe ab anno 1649 ad annum 1663 ut-
que, teſtante celeberrimo *Bado* ſolenni drach-
marum duarum doſi febris quæcunque inter-
mittens, & quartanæ quæcunque contumaciſ-
ſimæ profligebantur, quam doſin etiam nun-
quam in febre curanda ſive intermittente ſive
remittente continua ſe excedere ſolitum fuiſſe
teſtatur *Mortonus*, imò *Andreas Nicolus* in

Epiſtola aſſerit ſe drachmâ unâ quartanas fugare ſolere. Cum tamen hodie ad plures ſæpe uncias neceſſariò extendenda ſit doſis.

Cauſa hujuſce ab indole ſua nativa ita hodie factæ degenerationis non facilis eſt indagatu. Evenire tamen id noſtris temporibus magis quam elapſis putat *Baglivus*, eò quòd hic cortex non colligatur ab arbore uti olim fiebat. Intellexit namque à Patre Dominicano Americano Romam veniente corticem colligi debere tantummodo ſole exiſtente in leone, & ab arboribus, quæ ad meridiem poſitæ ſunt. Quod ſi indiſcriminatim colligatur quolibet menſe, & à quibuſcunque arboribus vim febrifugam nunquam habere, quæ infallibilis ſit apud Indos Americanos experientia. Refert ex obſervatione *Bolli Rajus* arbores febrifugas peruvianas plerumque omni cortice ſpoliatas cerni, & quidem ſine noxa, quod & ſuberi commune eſt, nam ſic potius juvatur exuta, ut ſcribit *Plinius*, unde metuendum ne genuino & efficaci cortice tandem penitus deſtituamur.

Accedit quod inter fruſta corticis ad nos delata ſæpius ſpuria & effoeta reperiantur. Judicat quidem *Liſterus. Exerc. de hydrophobia p. m.* 55. corticem qui ex trunco arboris eſt, eo qui ex ramuſculis eſſe meliorem, exemplo deſumpto è corticibus noſtrarum arborum, quos ſi craſſiores ſunt, coriarii meliores experiuntur. Verùm contrarium experientia edoctus cortices parvos, tenues, ponderoſos, compactos, majoribus craſſioribusque è trunco detractis, viſu quidem ſat elegantibus, effectu tamen

tamen languidioribus præfero. Nemo igitur dubitabit vim ejusmodi corticis torpidiorem aliis antipyreticis additis exaltari ac roborari poſſe.

Nunc verò etiam ratione ſymptomatum febres comitantium corticem non raro additamenta requirere oſtendam. Hic apud nos in Weſtphalia ut aliis morbis, ſic & febribus intermittentibus frequenter ſe ſociat ſcorbutus, earumque indolem & typum invertit, commutans eas in erraticas, addens paroxiſmis dolores hypochondriorum & artuum vagos lancinantes, corpusque pingens maculis quaſi petechiis, quæ in ſtatu paroxiſmi comparentes poſt ſudorem denuo evaneſcunt. Genuinæ ſcorbuti ſoboles. In ejuſmodi febribus arenulæ rubræ facilè tamen friabiles undiquaque matulæ parietibus ex ſalibus acido ſalſis cryſtalliſatis adhæreſcunt. Contumaces hæ ſolent eſſe propter junctum ſcorbntum, cujus niſi ſimul habeatur ratio, celerrimè recidivare ſolent. Refert D. *Michäelis* quendam quinquies recidivam paſſum fuiſſe ob ſcorbutum febri junctum, quo curato hæc planè ceſſärit. Quis ergo dubitet in talibus febribus cortici ſocianda eſſe ſpecifica antiſcorbutica? Cl. *Wedelius* omnibus præfert Viperina, quibus ſtudioſum Weſtphalum tertianâ ſcorbutica laborantem curavit. Præſtant unà hoc emolumenti antiſcorbutica, quod ſanguinem effoetum novo vigore inſtaurent, vires languidas exſuſcitent, appetitum dejectum erigant.

Dantur febres cardiacæ dolore inexplicabili ingruente paroxiſmo ventriculi orificium laceſ-

ſentes. Hæ corticis ſolitarii uſui nullatenus auſcultant. Invaſerat Virum inſignem Eccleſiaſticum febris intermittens tertiana, cujus paroxiſmus horrendo ventriculi ſpaſmo, qui ægrotantem fere ad incitas redigebat, incipiens excruciabat. Utebatur jam ad plures dies ex præſcripto Medici expertiſſimi mixturâ chinata non ineleganti, quæ tamen cardialgiæ levaminis nihil, paroxiſmis nullam ſuſpenſionem afferebat. Advocatus ab ejus medico, amico meo ſingulari, jam fere de curatione deſperante in conſilium, examino præſcriptam remedii formulam, doctè quidem conceptam & febri profligandæ ſufficientem. Unicum tamen in eo deſiderari ingrediens ſymptomati cardialgico debitum, quo adjecto Dominum & paroxiſmo febrili & dolore ſtomachi ſpaſmodico mox fore liberandum enuncio. Jubeo igitur grana aliquot Maſſæ pilularum de Cynogloſſo mixturæ addere. Dictum, factum. Prognoſtico reſpondet eventus. Intra paucos dies Dominus penitus convaleſcit, à febris ejuſque truculento ſymptomate liberatus qui adhuc hodie vivens datâ occaſione non intermittit, ſtratagema hoc, cui unicè ſalutem ſuam debeat, ſummis laudibus extollere, & me vitæ ſuæ ſervatorem appellare.

Ita praxi vel leviter tinctos docere poteſt experientia, ſi febribus intermittentibus convulſiones, colica, cholera, dolores nephritici, rheumatici, hyſterici &c. accedant, corticem ſolitarium vix illis curandis ſufficere. Annus eſt cum me accederet juvenis pauperculus natione gallus febri intermittente laborans. Et

quod

quod viſu erat miſerrimum, dextrum brachium inceſſanter noctu diuque inſtar perpendiculi in horologio jactitans. Cum ſumptus facere non poſſet, addidi ſpecifico meo antifebrili chinato æquale pondus radicis Valerianæ ſylveſtris à me non ſemel in ſpaſmis expertæ. Quo unico medicamento & à febri & brachii jactitatione conſtanter liberatus eſt.

Ut hæc corticis miſcendi neceſſitas amplius pateſcat, aliam recenſebo obſervationem. Vir princeps cum febri quartana per aliquot hebdomadas conflictatus aſſumpto cortice incidit in periculoſum icterum, qui huic unicè tribuebatur. Res videbatur Archiatro in anguſto poſita. Neque enim ad uſum corticis regredi audebat, neque curandi icteri ſpem febri non ſublatâ concipiebat. Vocatur in conſultationem medicus alius in corticis adminiſtrandi praxi magis verſatus Hic ſpecifica antcictetrica amara cortici ſub forma vini medicati ſcitè jungens unâ fidelia duos dealbat parietes, & principem à febri & ictero magna nominis ſui fama & largâ remuncratione liberat.. Profecto cortex, niſi ita modificatus, ægrotanti ſalutem non attuliſſet.

Non raro, quod epidemicâ hac binorum annorum conſtitutione febrium ita ferace obſervare licuit, febribus per corticem vel ſublatis vel adhuc vigentibus corporis quædam leucophlegmatica aut tumor crurum œdematoſus accedit. Etſi verò aliquando contingat, ut curatâ per corticem febri hic ſua ſponte ceſſet, cùm tamen id perpetuum haud ſit, patet methodum extraordinariam requiri, ne patiens dilu-

diluvio microcoſmico ſubmergatur. Nam memoratu dignum quod refert *Jo: Wilhelmus Rhambergius in Eph. G. Cur. Decad. 2. ann. IX. & X.* de legione quadam pedeſtri quæ prope Manheimium æſtiva caſtra poſuerat. In hac paulò poſt fere 400 milites febri tertianâ correpti fuêre, quibus chyrurgus ad aliquot dies chinam chinam exhibuit, qui brevi omnes hydropici evaſêre cum omnimoda virium & appetitûs proſtratione.

Quæ cataſtrophe non cortici, ſed hujus imprudenti uſui imputanda. Quare autem hunc hydrops ſequatur alii in ejus vim ſanguinis & ſuccorum aſtrictoriam referunt. Alii è contra aſſcribunt nimiæ, quam ſanguini parat, fluiditati, unde ſeroſitates in abdomen depluant, quod ſe multoties vidiſſe refert *Tavry Tr de med. 4. 11. p. m. 214* id quod præprimis ex analyſi corticis chymica, quâ conſtat ipſum plurimum ſalis volatilis continere, tum experimento, quia ſanguini V. S. emiſſo affuſus impedit, quò minùs is denuo evaguletur, & ſi jam coagulatus ſit, priſtinam recuperet fluiditatem, conatur probare. Quam controverſiam dirimere non eſt hujus loci.

Etſi corticis vim febrifugam ſtatuam non dependere à particulis ejus ſalino-terreſtribus aſtrictoriis, attamen hos in corporis primis viis non penitus otioſas eſſe praxis docet; in nonnullis enim, quibus inteſtinorum textura eſt ſenſibilior, alvum inſtar cathartici ſolviſſe, & proin in paroxiſmis tollendis vix notabilem effectum exſeruiſſe ſæpe comperi, fortaſſis ideo, quòd juſto citius corpore expellatur.

Quo

Quo in caſu neceſſum eſt ad manuductionem expertiſſimi *Mortoni* ſecurum & correctum aliquod opiatum eidem addere, ut ſedatis inteſtinorum irritationibus diarrhœa impediatur. Ubi obſervandum arcanum practicum, quod nobis etiam recommendat acutiſſimus *Hecquetus: cùm ſpaſmodicam diatheſin, unde morbi pendent, ſedâſſe ut plurimùm curare ſit, revera quæ peruviano cortici ſoli febres obſurduerint, eidem narcoticis ſociato morem gerunt.*

è Contra aliùs texturæ corpora reperias, in quibus cortex alvum conſtipando multum creat moleſtiæ, & ad ſymptomata hypochondriaca, flatulenta, colica diſponit, ubi ſanè rationalis medendi methodus requirit additis blandioribus laxativis hunc inteſtinorum obicem removeri. Nam ſat ſecurè febres intermittentes peculiari corticis cum purgante congruo miſcellâ curari poſſe jam ſupra monui, modò per id in maſſa ſanguinis nullæ turbæ cieantur. Nonnullis arcani loco eſt, in febribus contumacibus cum cortice ſalia fixa acidis ponticis ſuccis corrigendis efficaciſſima addito momento Mercurii dulcis, qui potentiſſimum reſolvens eſt, miſcere.

Nonnulli igitur vim ejus aſtrictoriam corrigendam volunt per ſalium volatilium additionem. De qua methodo jam ſuperius mentem meam aperui. *Mangetus* ſanctè inquit aſſerere poſſum, me in millenis ægris exhibitionem corticis nunquam ſatis tutam obſervâſſe, omnique prorſus recidivæ antevertendæ aptam, ni volatilia etiam in largiſſima doſi admiſcuerim.

rim. Quod etiam præcipue locum habere poſſet in febribus comatoſis, convulſivis apoplecticis &c. Ego hiſce enixa ſalſa volatiliſata præfero.

Si febribus diuturnis inprimis quartanis accedat vel tumor vel ſcirrhus viſcerum in ſpecie lienis vel meſenterii tanquam productum morboſum, diluceſſit ſolo cortice curationem expediri non poſſe, ſed jungenda vel interponenda iſtis ſymptomatis eradicandis apta & ſufficientia.

Dantur interdum tertianæ epidemicæ, quæ nec ſexui, nec ætati, nec temperamento ulli parcunt, corripiunt tamen maximè bilioſos, & non rarò ſunt malignæ, interdum contagioſæ. In quibus ſolitarium corticem omnem implere curam nemo credo dixerit in praxi exercitatus.

Confirmat demum hujus miſcendi neceſſitatem elegans obſervatio *Danielis Pucrarii in Notis ad Burneti Theſaurum Med. Pract.* Annotavit in febribus continuis cum tertiana aut duplici tertiana complicatis paroxiſmos cum affectione ſomnolenta & comatoſa conjunctos fuiſſe, ex quibus non pauci perierint non obſtante cortice peruviano. Sed addito pulvere Théæ ſimul cum cortice decocto plurimos ægros ſalutem expetitam obtinuiſſe & ultimum evaſiſſe fatum. Teſtatur pariter *Bonetus Med. Septentr. Paralip. ad l. v. ſect.* 3. *obſ.* 1. febrim intermittentem cum comate ſeu veterno gravi ſingulorum paroxiſmorum comite pulverè corticis peruviani in decocto herbæ Theæ propinato profligatam eſſe. Et hæc miſcendi neceſ-

neceſſitas adhuc magis in febribus continuis periodicis quam intermittentibus urget. In his ſolitario fidere cortici, magnæ audaciæ opus. Si autem illi, quæ fluida & ſolida debitè laxant (purgantia non intelligo) adjungantur, materiæ febrilis intempeſtivè fixandæ aut concentrandæ pericula evitabuntur, per urinam & ſudores ſordes febriles expellentur, & tutiùs certiuſque febres internecinæ tollentur.

P. *Nogues* Medicus Pariſienſis & ſcriptor recens in *Explicatione Phyſico-medica S. Sanctorii aphorismorum de ſtatica medicina* hanc in febribus, præcipuè continuis, chinam miſcendi neceſſitatem pariter agnoſcit. Judicat inveniri poſſe remedium ſpecificum, quod æquè promptè ac facilè febres continuas percuret, ac kinkinna intermittentes. Quærit igitur, cur non tam ſalubrem citumque in illis, uti his ſortiatur effectum: reſpondet eſſe quæſtionem ſpinoſam. Tres verò putat eſſe rationes. 1. quod nimis exigua ejus exhibeatur quantitas, quàm ut ſucci glutinoſi fundi & vaſa obſtructa aperiri valeant. 2. quod ſub febrium intermiſſione curſus ſanguinis ſit liberior, adeoque kinkinnæ principiorum facilior promptiorque in vaſa ingreſſus, ut in iis ſucci ſpiſſiores attenuentur & liquentur. 3. quod non debitè exaltata exhibeatur, unde meliores in febribus continuis, promittit effectus, ſi cortex mixturâ ſalis cujusdam volatilis acuatur. Quo quidem diſcurſu eò collimare videtur, quòd ſpecificum illud febrium continuarum æquè tutò ac citò curans in kinkinna modificata credat

la-

latitare, in quo non adeo fallitur, ſi modò iſtius additamenti ſive corrigentis ſive exaltantis notitia nos non fugeret *Pitcarnii* ſpeculatio eſt, ſi unquam contigerit ulli nôſſe medicamentum, *quod ſtatim tollat ſanguinis rareſcentiam, & motum imminuat, nullo fero ſymptomate ſubſequente*, illud fore contra febrim optimum, & Venæ Sectioni, & omni alii præferendum. Tale in cortice, nitro, camphora, & opiatis correctis fortè quis invenerit. Eat nunc Cl. *Bonetus* & empiricis & oſtentatoribus dicat aſſociandos eos, qui corticis additamentis effectum, ſi quis ſequatur, aſſcribunt. Expertiſſimorum Virorum ſequenti capite in medium educenda cohors multiplici cotticis mixtione & inde reſultantibus expeditiſſimis febris diverſimode complicatæ percurandæ remediis dicterium hoc abundè refutabit.

CAPUT XIV.

Corticis ſecundum varias febrium indicationes miſcendi artificium, & varia exempla.

Ut Philiatro clarè diluceſcat excellentiſſimis quibusvis medicis, jam à longo tempore uſitatum fuiſſe non in cortice ſolitario ſed pro re nata & juxta indicationes varii compoſito febres refractarias variis ſymptoma-

tis

tis & viſcerum diſcraſiâ ſtipatas depellend ſpem poſuiſſe, & deobſtruentium reſolventium laxantiumque miſcellâ occurriſſe timori panico illorum, qui ex corticis vi aſtrictoria viſcerum neſcio quos infarctus metuunt. Præſtantiores aliquot illorum compoſitiones in medium adducam, enarratis ſaltem illorum ingredientibus omiſſâ ſingulorum proportione ſive pondere, quod in arte exercitatus facilè vel proprio marte pro re nata illis addere, aut ex ipſis authorum ſcriptis repetere poterit. Hic enim procul dubio comperies, cuncta non univerſaliter omnibus febribus accommodata; ſed ad peculiares illarum circumſtantias ab inventoribus directa fuiſſe ordine alphabetico in ſcenam prodibunt.

Cl. *Balæus* pulverem febriſugum certum componit ex ſpecifico Vegetabili, per quod chinam chinam intelligit, radice ſerpentariæ Virginianæ, contraiervæ, gentianæ, zedoariæ, ſemine citri, cardui benedicti & lapide Bezoar occidentali. Qui locum habere poteſt in continuis periodicis remittentibus.

Cl. *Nicolaus de Blegny* ex pulvere corticis peruviani & floribus centaurii minoris cum ſ. q. Theriacæ conficit opiatam, cujus virtutem & uſum peculiari tractatu monſtravit. Aliis Gallis in uſu kinkinnam cum diaphoretico martiali, conſerva roſarum pallidarum & violarum purpurearum & ſyrupo aperitivo Mindereri in mixturam molliuſculam redigere, de qua æger vacuis diebus ſingulis trihoriis magnitudinem caſtaneæ capit.

Cl. *Fridericus Deckerus* commiſcet kinkinnæ radicem gentianæ, contrayervæ, zedoariæ, ſerpentariæ Virg. corticem l. Guajaci,

raſ. ligni colubrini folia ſcordii, dictamni cretici, & ſalarmoniacum, & cum melle deſpumato redigit in Electuarium, adjecto demum opio ſoluto & inſpiſſato, quo plurimos quartanâ ſimplici laborantes circa æquinoctium vernale curavit

Cl. *Joannes Dolæus* chinam chinam cum ſale abſinthii & diagridio miſcet, exhibetque in fine paroxiſmi: in tertiana autem jungit ſal *Sylvii* antihypochondriacum vitriolum martis & pulverum *Crollii* ſpecificium. In ſynocho putrida pulverem componit ex china-china bezoardico minerali & camphorâ, quem ſe ſæpius expertum rarò fallere aſſeverat. In febri quotidiana corticem cum Extracto Theriacali, abſinthii, centaurii minoris, gentianæ & ſpiritu ſalis armoniaci exhibet.

Cl. *Etmüllerus* antimonium martiale addit, inprimis ſi uteri ſuperventuri ſit metus, & in ſpecie in quartanis, quas vix ſine martis ope debellari ſcribit.

Cl. *Zacharias Fürſtius* Archiater primùm Trevirenſis & poſtea Monaſterienſis, Electuarium perelegans conficiebat ex cortice, tragea aromatica, nuce indicâ condita, zingibere condito, Theriaca Andromachi, confectione alkermes completa, conſerva roſar & ſyrupo granorum kermes, adjectis interdum oleis deſtillatis ſaſſafras nuciſtæ & cinamomi. Cujus beneficio cum ſereniſſimi quondam Electoris Trevirenſis fratrem ſingulari fortunâ à quartana contumaci liberâſſet, eâ famâ inclaruit, ut dignitate Archiatrica potiretur.

Cl. *Nicolaus Heinſius* archiater quondam Saxo coburgicus electuarium è cortice peruviano admixtis floribus albis vel luteis in monte mundi calidiſſimo naſcentibus, ſanguine

Dra-

Draconis minerali & ſerpente è lupi rictu erepto cum ſ. q. conſervæ aut ſyrupi appropriati parabat, quod in armamentario medico appellat *arcanum febrifugum* & mihi magni myſterii inſtar amicitiæ ergo communicavit.

Cl. *Adrianus Helvetius* addit cortici ſalarmoniacum & ſal abſinthii Quod ſi alcaliſatum ſit compagem ſaliſarmoniaci ſolvendi & ſal volatile & enixum antifebrile conſtituit. Quæ mixtura ad ſpiritum volatilem meliùs conſervandum ſyrupo abſinthii & papaveris albi excipitur.

Cl. *Fridericus Hoffmannus* in febribus contumacibus autumnalibus præmittit ſalia digeſtiva & abſorbentia, ſal abſinthii, nitrum purificatum, antimoniatum, flores ſalis armoniaci, ſal ſuccini adjectis aliquot granis Panaceæ Conerdingianæ vel reguli antimonii medicinalis, quæ duo potentiſſima ſunt deobſtruentia & coagulum lymphæ diſſolventia. Poſtea dum materia vitioſa ad excretionem vergit, totum negotium prudenti exhibitione chinæ chinæ abſolvit, cujus pulverem cum julepo roſarum & rob juniperi vel ſambuci commodiſſimè miſcet.

Cl. *Emanuel Königius* cortici peruviano miſcet ſalia fixa, regulum antimonii medicinalem & cinnabarin antimonii, adjectis interdum pro re nata floribus ſulphuris, atque antimonio diaphoretico.

Cl. *le Montius* ex cortice peruviano, ligno colubrino & ſaſſefras radice gentianæ & imperatoriæ, extracto cardui benedicti & corticis fraxini, camphora, & floribus ſaliſarmoniaci cum melle deſpumato conficit Electuarium, quod oleo caryophyllorum & corticis aurantiorum aromatizat.

Cl. *Roſinus Lentilius* cortici addit corticem

fraxini, radicem gentianæ, ſal abſinthii, caryophyllos aromaticos, Theriacam Andromachi & cum ſyrupo rubi idæi & rob ſambuci parat electuarium.

Cl. *Mangetus* ex cortice peruviano ſale tartari ſali armoniaco fixo adjuncto, pulvere viperino, & Antimonio diaphoretico cum rob ſambuci vel ſyrupo grankermes conficit Electuarium, quo plures perſanavit.

Cl. *Chr. Franciſcus Paulini* ex china chinæ cum ſale volatili urinæ & theriaca cœleſti parat antiquartanarium.

Cl. *Vitus Riedlinus* corticem cum ſpecifico cachectico Danielis Ludovici miſcuit, quo hecticam ſe curâſſe teſtatur.

Cl. *Jo: Andreas Stiſſerus* opiatam ex china china, pulvere ligni colubrini, extracto radicis imperatoriæ, & confectione baccarum juniperi addito laudano opiato confecit.

Cl. N. *Vaterus* Electuarium febrifugum balſamicum & præcipitans egregium conficiebat ex ligno colubrino, cortice chinæ & fraxini, antifebrili crollii, antimonio diaphoretico martiali, bezoardico minerali & ſaccharo ſaturni cum extracto antifebrili alcalino, conſerva centaurii minoris & ſyrupo corticum aurantiorum.

Cl. *Jo: Jacobus Waldſmidius* Decoctum chinæ chinæ cum vino abſinthii parat, addito ſpiritu ſaliſarmoniaci volatili.

Cl. *Theodorus Zwingerus* corticem chinæ chinæ cum cinnamomo optimo & ſale cardui benedicti vel centaurii minoris miſcet, quo certâ methodo ſumptâ ægrum in totum à febri ita liberari aſſerit, ut non amplius poſtea recurrat.

Habetis hic novendecim artis Aſclepiadeæ *Roſcios*, viros ſuo ævo expertiſſimos. Quorum quis

quis proximiùs ad ſcopum collimâvit, ex ſequentibus arcani cujusdam univerſalis febrifugi conditionibus uberiùs colligi poterit. Cl. *Mangetus* in tali compoſito, cujus china china baſis eſt, ſequentia requirit.

1. Ut febrim intermittentem qualemcunque omnino ſine ullo recidivæ metu ſupprimat.

2. Ut die primâ, quâ exhibetur, corpus ſatis bene expurget, ſubſequentibus alvum liberam ſervet, urinas in largiſſimâ quantitate pellat, tranſpirationem promoveat, ciborum appetentiam & digeſtionem etiam in ventriculis debiliſſimis & cibos maximè averſantibus reſtituat, vultui colorem, toti corpori vires reddat.

3. Symptomata plurima febribus aliquando adjuncta, ut tuſſes, tumefactiones corporis, dolores arthriticos &c. profligat.

4. Omnes functiones œconomiæ animalis ad genium revocet, morborum fermenta è latibulis ſuis etiam profundiſſimis eruat, & per vias convenientes expellat.

Quis amabo haſce dotes & tantam agendi potentiam in cortice ſolitario vel quæſiverit, vel etiam dari ſupponet, niſi ex hypotheſi eundem *Archeum* ſeu naturam in univerſo confortare, hanc autem ſolam eſſe morborum medicatricem. Interim perſuadet ſibi Expertiſſimus *Mangetus* ſe omnes haſce virtutes in uno compoſito concentrâſſe, cunctisque indicationibus enarratis arcano hoc ſuo ſatisfeciſſe. Communicavit hoc demum publico ipſemet, quod quisquis in ejus ſcriptis verſatus, ignorare non poteſt, unde exſcribendi operâ hic ſuperſedebimus, ne empiricis præda fiat, qui fuci ſunt alieno melle gaudentes, & nulli magis inhiant, quàm bolis præmaſticatis ſibi

in os ingeſtis. Quibus ejus opera ad manus non ſunt, illis ſufficit indicare, corticem adjectâ radice ſerpentariæ Virginianæ & antimonio diaphoretico martiali albiſſimo cum ſpiritu vini ſalearmoniaco acuato ita exaltari, ut remedium evadat in omnibus prorſus febribus probatiſſimum, qua etiam non ſemel quartanas de hyeme ſine ulla recidiva curavi, & author ipſe plusquam centenos cujuſcunque ſexûs & ætatis citò & jucundè ſanâſſe teſtatur.

An autem illa compoſitio omnes indicationes memoratas adimplere valeat, valde dubito, quamvis ejuſmodi remedii antifebrilis panchreſti inveſtigationem ſummopere inculcet *Helmontius* hoc effato: *Totum medentis ſtudium ſit inveniſſe remedia, apud quæ omnes febres ejuſdem ſint pretii & ponderis.* Quæ autem ſit illorum conditio hiſce inſinuat. *Delectus remediorum in febribus deſumendus eſt ab arcanis. Primaria enim ſunt, quæ placant tumultum in vita excitatum. Sequuntur quæ ſuperant virus febrile. Auguſtiora autem ſunt quæ utrumque ſimul continent, ſunt denique quæ famulantur expulſivè, plauſibili nempe abſterſione & reſolutione.* Quatuor hic recenſet antifebrilium ſpecies & diverſas virtutes, quas quodammodo in ſolo cortice natura conjunxiſſe videtur. Primò enim placat tumultum in vita excitatum, id eſt in archeo ſeu vitali ſpiritu excandeſcentiam. Secundò ſuperat virus febrile, in peculiari veneno omnium febrium rationem formalem & eſſentialem poſitam eſſe oſtendit *Mortonus*, adeoque corticem inſtar Antidotorum agere concludit. Tertiò famulatur expulſivè abſterſione & reſolutione, non modò quadantenus materiali particularum ſuarum texturâ, ſed potiſſimum, quod hæc archeum ſeu naturam ſedatam confortatamque

que non rarò ſponte ſequantur. Nam hoc de tali medicamento promittit l. de febr. c. 17. *Spectanda perturbatio Archei. & dein quo medio compeſcatur virus, reducaturque averſio concitataque confuſio Archei. Nam his ſedatis ceſſat mox ipſa febris, quæque materialiter ibidem peccant facilè à natura domantur atque redeunt directè ſubacta hac ſic viâ ſtatim febres cedunt ad appulſum alicujus arcani. Reſiduum autem expulſionis committitur humeris naturæ, ut ſua ſervetur Hippocrati dignitas, quòd ipſæ naturæ ſint morborum medicatrices in continuis juxta atque interpolatis febribus.*

Veritatem hujuſce poſtulati *Helmontiani* ante inventionem chinæ chinæ ab ejus adverſariis tantùm non pro nugis & ineptiis habiti poſtliminio ſufficienter probavit ad omnium ſtuporem febrium devictor cortex, cujus prodigioſam vim humanum captum ſuperantem miror non aliquos ſimpliciores ſub primum ejus in Europam adventum pacto Sathanico adſcripſiſſe. An is *Helmontio* jam notus fuerit, non auſim dicere. In annum poſt milleſimum ſexcenteſimum quadrageſimum quartum ejus mors incidit, ante quem jam aliquot annis innoteſcere cœperat, videtur tamen omnibus iſtis circumſtantiis ad ſuum Mercurium diaphoreticum fixum collimâſſe. Quamvis in hoc ceu producto merè artificiali non illa, quæ in cortice, ſit vis dotalis placandi archeum, ſed tantùm reſolutiva & abſterſivæ cauſæ occaſionalis, quâ ſublatâ conſequenter archeus quoque à motibus inordinatis deſiſtit. Notandum itaque *Helmontium* non omnia iſta arcani febrifugi requiſita in uno quodam ſimplici, ſed diverſis ſubjectis, ex iisque fortè compoſito ſupponere. Qnod in cortice peruviano ceu baſi, adjecto ſulphure minerali ſedativo, & ſale peculiari fixo, cui in tota rerum

na-

natura penetratione, abſterſione, & reſolutione nil eſt ſimile, pariter obtineri poterit. Sic enim corticis vis aſtringens mutabitur in aperitivam, & diaphoretico diuretico laxativam; cui ſi aliquando & pro re nata inſons anodynum addideris, obtinebis febrifugum arcani titulo dignum, quod ex triplicis naturæ regni ſubjectis dextrè conflatum & in uniſonum conſpirans inter coeteras omnes hactenus in lucem productas compoſitiones chinatas effulget, ſicut inſter ſtellas luna minores. Confer caput V. ubi quid juxta *Helmontium* cortici addendum ſit, inſinuavimus. Quomodo verò hæc ingredientia præparanda ſint, addiſcite ex eodem, & conferte meum *Helmontium Ecſtaticum* nuper è prælo egreſſum. Tale compoſitum ad remedii quaſi univerſalis ſaltem in curatione febrium, excellentiam proximè accedit, neque aliorum ſpecificorum juxta variorum ſymptomatum aut morborum complicatorum exigentiam miſcellam refugit, vel interponendorum uſum excludit. Si *Theriacæ febrili Mynſichti* aliquantum correctæ hujus ſpecifici debitam quantitatem addideris, neque medentem neque utentem ſpe fruſtrabit. Ita dantur varia alia compoſita hactenus in praxi famoſa, quæ in morbis cum febri complicatis ejusmodi arcani additamento exaltantur, ſeu præſentiores vires conſequentur. Qui autem ex cortice per varias chymiæ operationes ſpiritum, oleum & ſal fixum ſeparant, fruſtraneis laboribus luduntur, neque enim vel ſingula, vel invicem remixta ulli febri fugandæ ſufficientia deprehenduntur, manifeſto argumento ejus dotem febrifugam à peculiari ejus adhuc in compoſitione partium naturali integri & indivulſi craſi dependere. Unde finio:

Benedictus ſit ter glorioſus rerum Conditor, qui cortici peruano tam mirandam virtutem indidit, quâ tandem medentes ab antiquo artis ſcandalo liberantur.

H-